BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMAN.
6
21 M
22
51-E-35

51-2-23.

APOLOGIA
Pro Summis Pontificibus Romanis Generalibus Conciliis & Eccleſiâ Catholicâ

CONTRA

D. PETRI VAN BUSCUM S.T.L.

Eccl. Cathed. S. Bavonis Can. & Pœnitentiarij

INSTRVCTIONEM

Ad Tyronem Theologum de methodo Theologicâ

Octo Regulis perſtrictâ

EIUSDEMQUE INSTRVCTIONIS

DEFENSIONEM, ET VINDICIAS

AUTHORE

ÆGIDIO ESTRIX

Societatis IESU *S. Theologiæ Profeſſore Lovanii.*

ANTVERPIÆ,

Apud MICHAELEM CNOBBAERT, M.DC.LXXII.

Permiſſu Superiorum

M. 5. 57

PROOEMIUM

Anni ſunt pauci, cum juveni ingenuo ſanctiora Theologiæ ſtudia meditanti data eſt Inſtructio ad Tyronem Theologum, de Methodo Theologicâ octo regulis perſtrictâ. *Oſtenſam laudatamque Inſtructionem in Lovanienſi Academiâ deſcripſere avidè Theologiæ Tyrones non pauci. Pervenit quoque exemplum* Inſtructionis *ad manus cujuſpiam, qui ſuum pridem dediderat animum Romanæ Theologiæ: is judicavit, non pauca habere* Inſtructionem, *quæ eſſent accommodata ad ingenerandam Tyronibus, qui eam deſcripſerant, vilipenſionem Authoritatis Pontificiæ, generalium Conciliorum, & Eccleſiæ Catholicæ.*

Quare opportunitatem nactus edendæ in lucem cujuſdam Diatribæ Theologicæ, *exiſtimavit intereſſe & Summorum Pontificum Romanorum, & Conciliorum œcumenicorum, & Eccleſiæ ipſius Catholicæ, non diſſimulari ea, quibus peccare viſa erat* Inſtructio. *Hoc verò ille ſic præſtitit, ut nomini Authoris omnino pepercerit, ac ne quidem ſignificaverit, quâ ille in Eccleſiâ, qualive munere fungeretur; imò ne iſtud quidem prodiderit, Authorem Inſtructionis virum eſſe Eccleſiaſticum. Putavit ergo fas ſibi eſſe eâ uti libertate, ardoreque in ſcribendo, quem videbatur poſtulare cauſa ipſa momenti ſummi, quam ſuſceperat.*

Paucis poſt hebdomadis, quam erat edita in lucem Diatriba, *prodijt excuſa typis* Inſtructio, *quæ manuſcripta ſerpſerat adhuc: prodiit verò juncta* vindiciis *famoſis, nullo authoris nomine, nullo Typographi, nullâ denique Cenſoris approbatione.* Inſtructionem *infirmaverat Diatriba:* Vindiciæ *verò erant ejuſmodi, ut eas nemo, quamdiu ſolæ patrocinarentur* Inſtructioni, *dignas judicaret refutatione.*

Paucis rurſus inde diebus Lovanii, ubi cum ſuis vindiciis *vendebatur* Inſtructio, *pagina apparuit aliis impreſſa typis* Inſtructioni *præfigenda. Continebat illa præfationis quiddam ad* Inſtructionem, *adjuncto Authoris nomine,* Petri

 vàn

van Buſcum S. T. L. Eccl. Cathed. S. Bavonis Can. & Pœnitentiarii Gandavi, *ſimulque cenſoriam* Inſtructionis *approbationem eodem die datam, ſi non fallor, quo typis fuerat expedita* Inſtructio *unà cum ſuis* vindiciis.

Inde rurſus diebus perpaucis Gandavi ſine vindiciis *ſuis prodiit* Inſtructio *eadem, novis excuſa typis, novâ chartæ formâ Præfationem præferens eam ipſam, & Cenſoris approbationem, de quibus modò, non ſine Authoris nomine & Typographi. Sic excuſa* Inſtructionis *exempla paucis diebus ſuffecerunt: iterum iterumq; ſubjicienda prelo fuit, ut mihi narrant.*

Paucis denique lapſis hebdomadis ab editione variâ Inſtructionis, *in lucem exiit quædam* Defenſio Petri van Buſcum S. T. L. Eccleſiæ Cathedral. S. Bavonis Gandavenſis Canonici & Pœnitentiarii adverſus ea, quæ *Author Diatribæ* oppoſuerat Inſtructioni ad Tyronem Theologum &c. *Libelli pars bene magna expoſtulationem continet de laſâ caritate ab Authore Diatribæ, eamque tam gravem, ut, præter alia permulta illum affirmet* (a) *unà* CUM SUIS aſſumpſiſſe perdendum *Authorem inſtructionis.*

(a) *Defenſ. pag.* 28.

Proculianus Epiſcopus haud ſatis ſe probabat Orthodoxè ſentientibus adversùs Donatianos: Congreſſus Evodius ſtrinxerat virum aliquantò acriùs: queſtus eſt ille de contumeliâ: ægrum animum conatus eſt lenire Auguſtinus iis verbis, quæ mihi pleraque ſunt apta hoc loco: Me *inquit* (b) Syncero corde agere & cum tremore Chriſtianæ humilitatis, etiamſi pleriſque hominibus apertum non eſt, videt tamen ille, cui nulla corda clauduntur. Quid autem in te honorare non dubitem, facilè intelligis: non enim errorem Schiſmatis, unde omnes homines, quantùm ad me attinet cupio ſanari, dignum honore aliquo judico. Te ante omnia quod ipſius nobis humanæ ſocietatis vinculo aſtringeris, & quod non nulla in te præeminent placidioris mentis indicia, quibus nullo modo deſperandum eſt, facilè te poſſe veritatem, cum fuerit demonſtrata; complecti, ſine ullo æſtu dubitationis ho-

(b) *Epiſt.* 147.

norandum puto. Dilectionis autem tantùm tibi debeo quantùm nobis imperat ipſe, qui nos dilexit uſque ad crucis opprobrium .... Audivi quidem de memorato Fratre Evodio te fuiſſe conqueſtum, quod neſcio quid tibi contumelioſè reſponderit: quod quæſo te, ne illam contumeliam deputes, quam certum mihi eſt non de ſuperbo animo proceſſiſſe, novi enim fratrem meum: ſed ſi quid in diſputando pro fide ſuâ, & pro Eccleſiæ caritate dixit fortaſſe ferventiùs, quàm tua gravitas nollet audire, non illa contumacia, ſed fiducia nominanda eſt. Collatorem enim, & diſputatorem, non aſſentatorem, & adulatorem ſe eſſe cupiebat.

Quid ego his addam? Pauca hæc.

Si publicè erat notum, quis Author eſſet Inſtructionis, *non perfregit legem Caritatis Evangelicam Author Diatribæ, cum publicè reprehendit, quæ habebat* Inſtructio *reprehenſione digna. Si occultum id erat, fama læſionem, ſi quæ conſecuta eſt, ſibi conſcivit Author* Inſtructionis, *qui fœtum illum agnoverit eſſe ſuum; id quod* Diatriba *nuſquam prodiderat.*

Si de Inſtructione *graviùs, ſeveriùſque videbatur cenſuiſſe Author* Diatribæ, *quàm merebatur ipſa; vel oſtendendum erat, non habere* Inſtructionem *eas res, quas oculis ipſis Lectoris ſubjecit ille, vel comprobandum, non poſtulaſſe eas res ſeveritatem illam: neutrum eſt præſtitum, ut demonſtrabitur. Hoc patuit* nulla remedia tam dolere, quàm quæ ſunt neceſſaria, *atque* oleum illò fluere, ubi exuritur.

Non hoc eſt actum Poteſtate ſeu Pontificiâ, ſeu Regiâ, ut ſopirentur *Controverſiæ de Summorum Pontificum, & Conciliorum Authoritate; ſed hoc magno laboratum eſt opere, ut extinguerentur errores, penituſque exſcinderentur peſtes quædam Fidei exitiales, quas ii fovebant, qui & Pontificum, & Conciliorum Authoritatem deprimebant. Authoritatem iſtam adverſùs Inſtructorem, aliosque paria ſentientes, vindicare ſtuduit Author* Diatribæ. *Non ergo ille, quod affirmat Inſtructor* (a) Contentiones Regiis Pontificiiſque poteſtatibus, SOPITAS reſuſcitavit.

(a) *Defenſ. pag.* 3.

Ibidem. *Dicitur* (a) *Author* Diatribæ FœDISSIME proſcidiſſe præſtantiſſimos Viros. *Quidam ex illis* Viris præſtantiſſimis *quos vocat, ſi de hoc expoſtulent, verendum ne illis accommodet Petrus Bleſenſis ſua hac* (b) ſi FœDus eſt ſermo, Fœdius eſt putreſcere in peccato. Numquid audebis facere, & ego illud dicere non audebo? &c. *Nihilo ſibi placabiliores ſentient S. Patriarcham Ignatium, Mutiumque Vitelleſcum. Ignorat ardorem Catholicæ Fidei, quo pectus illi ſuccenſum habuere: quàm illi pacem adamarint, ignorat is, qui cenſet, diſplicuiſſe viris Chriſtianam libertatem decertandi pro Authoritate Apoſtolicæ Sedis, atque Eccleſiæ Catholicæ:*

Tract. de Conf. Sacram.

Hæc ipſa tam pauca attigiſſe pro Authore Diatribæ, *ſcrupulo mihi eſt, ubi urgent curæ his majores. Eâ ille diſciplinâ eſt inſtitutus, quâ queat cauſam honoris ſui, atque etiam ſuorum, in quos tacitè apertèque iacta ſunt non pauca, tranſcribere judicandam juſto judici ex ipſo Crucis Tribunali intuendi corda noſtra. Quod reliquum eſt, id omne aboleat ea Caritas, quâ ille* nos dilexit uſque ad Crucis opprobrium. *Tum verò cauſam graviſſimam Vicariæ Authoritatis* IESU CHRISTI, *cauſamque Eccleſiæ Catholicæ, quam per Pontifices Maximos, & Concilia Oecumenica moderari, ac docere pergit ille, ſic tractemus, ut neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes, hoc agamus unum, iisque inſiſtamus veſtigiis, quæ deſcripſit Author* Diatribæ. *Alia aliaque deteget peccata* Inſtructionis, *ſi cui libebit marte novo eam adoriri, latebraſque rimari omnes.*

APOLOGIÆ
Pro Romanis Pontificibus &c.
PARS PRIMA
Contra Inſtructionem ad Tyronem Theologum &c. ejuſque defenſionem.

I.

Vindicatur Chriſti Vicario Pontifici Romano Authoritas ſeorſum definiendi ſine periculo erroris.

TRes omnino modos agnoſcit Inſtructor, quibus authoritate falli neſciâ utatur docens Eccleſia: tres ordine enumerat. Tum verò, *Alij*, inquit, *a adđunt quartum modum Eccleſiæ infallibilitatis, quando ſolus Pontifex abſque conſenſu aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit: ſed quia illum modum non admittunt graviſſimi Pontifices, & Doctores, & contrarium ſenſerunt Patres Concilij Baſileenſis, eum intactum, ut dubium, & adhuc ex principiis ſuis eruendum, præteribimus.*

a Inſtruct. Reg. 8. pag. 27.

At quid ſi definiat advocatis in communionem conſilij, auditiſque ſapientiâ Theologicâ, & virtute præſtantibus viris, qui Antiſtites non ſint? Dubius eſt modus ille: *conſenſu, & Approbatione aliorum Antiſtitum* eſt opus. At quid ſi Antiſtites adhibeat Pontifex, qui forte præſtò ſint Romæ? non eſt ſatis: alioqui enim, non tres ſolum, ſed quatuor agnoſceret *infallibilitatis* modos minime dubios: neque enim in orbem trium, quem circumſcripſerat, cadit modus iſte: ſed nimirum alludit Author haud obſcurè ad *infallibilitatis modum* proximè ſic expoſitum: *b Tertio modo utitur Eccleſia ſuâ infallibilitate, quando communi conſenſu approbat Pontificum decreta &c.* eo igitur conſenſu Antiſtitum cenſet opus eſſe, quo obtento verè dici queat Eccleſia univerſa *communi conſenſu approbare Pontificum decretum*; id quod verè non dicetur,

b Ibid. Reg. 8. pag. 27.

non poſſe Pontificiam in docendo authoritatem, niſi eodem labefacta motu ruat generalium Conciliorum Authoritas. Suum & Eccleſiæ univerſalis Magiſtrum agnovere Pontificem Romanum celebrata in Græcia Concilia: agnovere etiam diſertius Latina: diſertiſſime Tridentinum Concilium, ut ex decretis ipſis Concilij demonſtratum eſt, & luculentius comprobatum ex Hiſtoriâ Concilij *k*. Incumbebat Inſtructori cum adjecit animum tuendæ Inſtructioni adverſus Diatribam, diſſolvere machinas illas. Mitto Patrum Authoritatem Eccleſiæque conſenſum conſtantiſſimum, nullo non ſeculo, & nuſquam non ſapientiſſimis viris, atque ſanctiſſimis fidei reſponſa petentibus à Romanâ Cathedrâ: mitto Theologos etiam Galliæ (Gallis Theologis quibuſdam plurimum tribuit Inſtructor) Pontificiæ authoritatis in docendo, vindices ſeveriſſimos: Diatribæ pars magna deſcribenda mihi ſit, ſi hæc perſequi libeat diſtinctius: nihil illa juvere Inſtructorem: alia viâ adoriri placet.

k Vide Diatrib. à n. 303.

Te appello vir Erudite, te tibi judicem eſſe volo in cauſâ tua. *Cautè*, inquis, *& circumſpectè proſpiciendum, ne quid temere in examinandâ, & colligendâ traditione*: Rectè mones. *Nihil ut traditum admittamus ſine examine, & demonſtratione juxta modos ſupra dictos*: tres illos ſcilicet priores: quarto excluſo, quo Romanus Pontifex ſeorſum definit. Quid ergo? cogitemus, quod noſtra ætate factum, ſtudia in contraria ſcindi Eccleſiam, alios aliis hæreſim impingere: nullumne cenſes proviſum à Chriſto modum ſedandi tempeſtatem citra Concilij Generalis molimina? tum vero ad antiquiſſimos Patres, & primæ ætatis Eccleſiam ablegandus ſis. Fuit enimverò illis Eccleſiæ ſæculis, quæ à Chriſto fluxere, uſque ad Synodum Nycenam, fuit in promptu modus ſedandi tempeſtates illas, atque exſcindendi errorum peſtes citra Concilij Generalis opem. Hoc munus, has partes Romani eſſe Pontificis tam eſt in confeſſo, ut neque te credam addubitare. Age ergo ad ſedandam tempeſtatem accingat ſe Chriſti Vicarius Pontifex conſilio & deliberatione ſeriâ, non ſine ſupplicationibus ad divûm templa, ut fieri aſſolet, tum verò exortam in Eccleſiâ litem ſic dirimat, ut errorem ipſum tempeſtatis cauſam implacabili feriat anathemate.

Hic verò, quid me, quid Tyrones noſtros, quid ceteros jubes bonæ mentis fideles? *cautè*, inquis, *& circumſpectè proſpiciendum*? Quæ verò eſt illa cautio, & circumſpectio? *nihil ut tradi-*

tum admittamus, inquis, *ſine examine & demonſtratione juxta modos ſupradictos*. Aſt ego in modis ſupradictis eum non invenio, quo eſt uſus Pontifex, quem induxi: modum hunc præteriſti, ut dubium: nefaſne ergo nobis ſit pro Traditione accipere, quod ad ſedandas Eccleſiæ procellas, pro Traditione accipiendum præſcripſit ſupremus Eccleſiæ Doctor? Licebit, inquies, pro Traditione accipere cum acceſſerit aliorum Antiſtitum, ipſiuſque adeò Eccleſiæ approbatio, id quod habet *tertius Infallibilitatis modus*. At verò Theologum Tyronem, ſingulóſque adeo fideles hâc uti jubes cautione, & circumſpectione, *nihil ut traditum admittamus ſine examine & demonſtratione juxta modos ſupra dictos*; nihilque adeo, quod pro Traditione accipiendum præſcripſerit ſolus Pontifex ſeorſum docens. Finge tibi, quod omnino cupis, obſequi nos omnes præcepto tuo. Nonne vides, nunquam fore tempus illud; quo Pontificiæ doctrinæ accedat Eccleſiæ approbatio? Hoc ergo ſupereſt, ut obſurdeſcamus in perpetuum ad Pontificias ſanctiones in fidei controverſiis: Supereſt, ut omnis ea Authoritas, quam Petro, ejuſque Succeſſoribus propriam exoravit Chriſtus, quâ vacillantes in fide *fratres confirmare* poſſent [l] *fidei* ipſius *nunquam defectura* præſidio, inutilis prorſus ſit ad ſedandas fidei controverſias in Eccleſiâ forte exortas, quando, neque hoc meretur Authoritas illa, ut ſine alio *examine*, & *demonſtratione* accipere liceat Pontificias ſanctiones pro certis fidei decretis; neque vim habet, ut illum inducat conſenſum fidelium, aut Eccleſiæ, quo approbatum Pontificis decretum periculo erroris cenſeatur exemptum. Non habet; ſi Inſtructori credimus, vim illam Pontificia Authoritas: *cautè, & circumſpectè proſpiciendum erit* Fidelibus ſingulis, ne pro traditione, fideive dogmate, accipiant, quòd illa ſeorſum juſſerit: ſingulis expectantibus Eccleſiæ conſenſum, quæ ſpes ſit fore, ut Pontificiæ Authoritatis ope inducatur conſenſus iſte? [l Lucæ 22.]

Ego verò Eccleſiæ judicium venerabor in Eccleſiæ Magiſtro, & Capite ſupremo Pontifice Romano: hic ſi quid judicaret Apologiam hanc habere adverſum Traditioni ſacræ, nollem ego eâ uti *cautione*, & *circumſpectione*, ne quid ut traditum admitterem *ſine examine*, *& demonſtratione juxta modos ſupra dictos*: nollem meâ causâ œcumenicam Synodum celebrari, Pelagianorum iſta fuit durities Auguſtino ſuperbam caſtigante [m] *hanc etiam gloriam captantium, ut propter illos Orientis, & Occidentis ſynodus congrega-* [m L. 4 contra duas Epiſt. Pelag. C. ultim.]

gregaretur : *Orbem. quippe*, inquit, *quoniam Domino eis reſiſtentes pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur : cum potius vigilantiâ, & diligentiâ Paſtorali poſt factum illis competens, ſufficienſque judicium, ubicumque illi lupi apparuerint conterendi ſint &c.* Nollem denique tam eſſe *cautus*, & *circumſpectus*, ut orbis Chriſtiani conſenſum, atque Antiſtitum per Eccleſiam diſperſorum approbationem putarem exſpectandam : Vultum, iramque Auguſtini non ferrem hæc in me increpantis ⁿ *quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam ſedem?* ERGO HÆRESIS *non adhuc examinanda; ſed coercenda poteſtatibus ſæcularibus.*

ⁿ L. 1. oper. imperf. C. 103.

Placeat conſectarium ; *ergo hæreſis* :

Placuit Carnotenſi Epiſcopo Ivoni : en ſermonem planum, & ſine fuco ᵒ : *Sedis Apoſtolicæ judiciis, & conſtitutionibus obviare, planè eſt hæreticæ pravitatis notam incurrere.* Quare ne iſtud quidem cauſari vellem, *dubium* eſſe mihi *infallibitatis modum*, quo ſeorſum Pontifex definit : ſi valet Auguſtini conſectarium : *Ergo hæreſis* : hæreſim non abſterget dubitatio : ſcitum & breve eſt hoc ᵖ *dubius in fide infidelis eſt.*

ᵒ Epiſt: 8.

ᵖ Cap. 1. de hæreticis.

II.

Ipſos in ſe Romanos Pontifices armare tentavit Inſtructor; ſed caſſo conatu.

IPſe audiatur ᑫ : *alij addunt quartum modum Eccleſiæ infallibilitatis, quando ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit : ſed quia illum non admittunt graviſſimi Pontifices, & Doctores, & contrarium ſenſerunt Patres Concilij Baſileenſes, eum intactum, ut dubium, & adhuc ex ſuis principiis eruendum prætcribimus.* Mitto Doctores, qui fere vel eo ſcripſere tempore, quo ſchiſma Eccleſiam lacerabat, vel Baſileenſium falsâ quâdam authoritatis ſpecie abducti ſunt : de Baſileenſibus infrà videro.

ᑫ Inſtruct. Reg. 8. pag. 27.

Hoc loco mihi deteſtanda eſt vox iſta ; *illum modum non admittunt graviſſimi Pontifices* : ſiccine ipſos in ſeſe ipſos jubet *graviſſimos Pontifices* arma vertere? Pontificiam authoritatem ſui ipſius peremptricem facit? *graviſſimos Pontifices* ſibi ipſis adverſos pronuntiat tam indubitanter, ut ſi exploratior eſſet res, quam quæ egeret tenui ſaltem argumenti ſignificatione? Quænam illa ſunt gra-

graviſſimorum Pontificum contra ſe teſtimonia? cur non protulit? nota ſunt cordatis viris, quæ de Joanne XXII. Clemente V. Innocentio III. Leone I. & III. jactari ſolent: ſed toties convulſa ſunt, & tam putida pleraque, ut verear, ne ſtomachetur lector, ſi iis vel memorandis immorer.

Unum pro omnibus audiri jubet [r] Adrianum, qui ut vulgo notum eſt in Quartum librum ſententiarum ſcribens [s], extra locum, atque aliud omnino agens injecit quiddam Pontificiæ Authoritati haud ſatis congruens. Illam igitur Adriani VI. ſententiam *diſertam* affirmare audet Inſtructor.

[r] Defenſ. pag 25.
[s] Artic. 3 de Sacram. Confirm.

Sed verò graviſſimos Pontifices appellaverat *Inſtructio*: ab Authoritate ipsâ Pontificiâ præſidium ſpondebatur adverſus Pontifices. Ecce autem poſt omnia *Adrianus Florentius de Trajecto* ſupponitur *Adriano VI.*

At inquit [t], *Adriani opera non ſolum Romæ cum publicâ approbatione impreſſa fuere, ſed etiam hodie Theologorum Tyronum manibus teruntur:*

Aio ego, haud effici re iſtâ, ut Adriani VI. ſententia omnino ſit appellanda, ubi hoc unum conſtat Adriani Florentij fuiſſe. Attamen Romæ excuſus eſt liber: in manibus hodie eſt Tyronibus: cur non excutitur? Is qui hæc miratur, ignorat Eccleſiæ morem in antiquis libris virorum multiplici eruditione, & virtute bene meritorum de Eccleſiâ.

[t] Defenſ. pag 25.

Demus etiam (de quo docendus ſum accuratè) Adrianum Pontificem curaſſe recudi librum: quidquámne cenſebimus Authoritatis Pontificiæ infundi in librum voluiſſe, quia id curaverit? Incredibile iſtud: ut ſi, quæ habet Philomuſus Chiſianus, ſingula contendat quiſpiam Pontificiâ turgere Authoritate, quia quæ luſerat olim Fabius Chiſius, ea typis excudi curaverit Alexander VII. Pontifex.

Preſſius revincatur debilis ratio. Hoc egit iſto loco Adrianus, ut non poſſet merus Sacerdos adminiſtrare Sacramentum Confirmationis: factum ſibi Gregorij objecerat qui partes illas Sacerdoti mandaſſe crederetur [u]. Reſpondit fieri potuiſſe, ut erraret Gregorius: poſſe enim errare Pontificem &c. Erubeſcendum, tegendumque nobis Adriani Florentij errorem, omnino adhæſiſſe, atque inhæſiſſe Adriano VI. Pontifici, nihilo potiori jure affirmabit quiſpiam, quam perſtitiſſe Pontificem in eâ ſententiâ, qua ſtatuerat prius, non poſſe merum Sacerdotem Con-

[u] Diſt 95. C. *pervenit.*

firmationis

firmationis Miniſtrum inſtitui à Romano Pontifice. Is vero qui hoc affirmet, diſcat ex Tridentini Concilij Hiſtoriâ x, Adrianum Pontificem conceſſiſſe facultatem Franciſcanis Patribus Confirmationis Sacramentum in Indiis adminiſtrandi: iſtiuſque facultatis monumentum legitimum in S. Franciſci Cœnobio Hiſpali aſſervari.

x Lib. 9. §. 7.

Dormitavit ſanè iſto loco Adrianus; id quod optimo quandoque Scriptori contingit: neque enim alioqui, nihil id poſtulante loco, quem tractabat, præcipitaſſet in errorem illum. Non etiam mentionem miſcuiſſet propudioſæ fabellæ de Joanne XXII. qui publice *docuerit, declaraverit, & ab omnibus teneri mandaverit*, Animas purgatas ante extremum Judicium non viſuras Deum. Pontificem Joannem vindicavit, fabulamque compertiſſimæ falſitatis liquidò convicit Annalium Scriptor Odoricus Raynaldus z.

z Tom 15. Ad an. 1333.

Eia verò diſpiciamus, ſatiſne ſibi conſtare is poſſit, qui & dubium eſſe affirmet illum *infallibilitatis modum*, quo ſummus Pontifex ſeorſum definit, & contendat Summos Pontifices ſententiam in controverſiâ iſtâ contra ſe tuliſſe. Ego enimverò oſtendo, non eſſe huic homini dubium *infallibilitatis modum* illum, ſi conſtare ſibi velit. Hanc ineo rationem.

Cum eſſe dubium affirmas eum *modum infallibilitatis*, quo ſeorſum Pontifex definit, quia judicarunt graviſſimi Pontifices, ſe poſſe errare cum definiunt, anne hoc mihi concedes Pontifices id judicantes uſos eſſe omni eâ, quâ pollent authoritate? Non jam quæro, quanta ſit ea authoritas: ſed quanta quanta eſt, eâ ſi uſos dicas Pontifices judicantes, ſe poſſe errare, cum definiunt, plus roboris ineſſe videbitur rationi tuæ: concedes ergo id mihi non gravate. Quiddam eſſe poſſit cavillationis in eo, quod iſtud tuum *non admittunt* &c. interpreter *judicarunt ſe poſſe errare* &c: Sed non morentur hæc nos.

Jam verò cenſeſne, haud erraſſe Pontifices eâ omni, quâ pollent authoritate judicantes, ſe poſſe errare cum definiunt; an erraſſe potius? ſi erraſſe cenſes id judicantes, fatendum eſt tibi, non poſſe illos errare, cum definiunt; ſi non erraſſe cenſes id judicantes non eſt dubitandum tibi, ſed affirmandum, poſſe illos errare cum definiunt.

Dubium eſt, inquies, an erraverint judicantes omni quâ pollent authoritate, ſe poſſe errare cum definiunt. At verò non poteſt.

poteſt dubium id eſſe tibi: certè enim vel errarunt, vel non errarunt. Faciamus verò erraſſe Pontifices iudicantes eâ omni, quâ pollent authoritate (quantula, quantacumque ea ſit) hoc eſt, definientes ſe poſſe errare cum definiunt, videsne & erraturos fuiſſe illud iudicantes, ſeu definientes; & tamen conſequens fore, ut non poſſint errare definientes? Triſtis me aſpicis, qui te compellam in hæc dumeta Dialecticorum. Ferendum eſt, ut concludam, certum eſſe tibi oportere, non erraſſe Pontifices iudicantes eâ omni, quâ pollent authoritate ſe poſſe errare, cum definiunt

Bene habet, inquies, plus aufero, quàm volebam: Imò verò peſſimè habet, atque abominandum in modum. Quiſquamne mihi ſupremum in terris Eccleſiæ Magiſtrum, IESV CHRISTI vicarium in ordinem redigat vulgarium de ſcholâ Doctorum? Cogeris ſcilicet non iam dubitare, an falli nequeat ſummus Pontifex ſeorſum definiens; ſed omnino habere pro certo, falli Pontificem poſſe definientem ſeorſum. En exitum expeditionis infelicis.

III.

Sua Romanis Pontificibus, & generalibus Concilijs authoritas vindicatur adverſus Inſtructorem, nullâ cautione, aut temperamento abiudicantem Eccleſiæ Iudicium falli neſcium in Quæſtionibus facti.

FEcere *Iniquitatis Filij* (ſic enim appellandos cenſuit Alexander *a*) *Quæſtionem facti* obſtrepentes ſummorum Pontificum Sanctionibus, ut nomen iſtud hodie ad cujuſdam dignitatem Antonomaſiæ evectum videatur, & vulgò Significare eam præcipuè quæſtionem, quâ de ſenſu libri, ſcriptoriſve hæretico aut Catholico inquiritur. Sic videri neceſſe eſt iis, qui neque in Academiis ſunt peregrini, neque imperiti eârum litium, quas ſuſcitarunt novi Auguſtini Diſcipuli.

Statuendum igitur lectori ſubjicio in quam ſententiam accipere liceat verba Inſtructoris hæc ipſa *b*: *hoc modo demonſtratur non eſſe de fide, aut fide divinâ credendas .... deciſiones, & definitiones Eccleſiæ etiam in Concilio generali de* QVÆSTIONIBVS FACTI.

a conſtit: *Ad ſacram*

b Inſtruct. Reg. 7. pag. 23.

Quæſtiones facti, quæ de ſenſu libri Catholico, aut hæretico agitentur, appellari audivit centies ille Tyro Theologus, cui Scripta eſt *inſtructio.* Has quæſtiones ceteri, ſi non deſignatas potiſſimùm, certè intelligent comprehenſas. Vidit Inſtructor ipſe, in eam partem accipiendum nomen, neque cavit, ne acciperetur. Sed neque cum monuiſſet Author Diatribæ pronum eſſe, ut ſic acciperetur nomen, infitiatus eſt Inſtructor in *defenſione* ſuâ ſic acceptum à ſe eſſe nomen. Non ergo dubitabo & ego ſic accipere *Inſtructionem* quaſi dicat; *demonſtrari, non eſſe de fide definitiones Eccleſiæ in quæſtionibus de ſenſu libri hæretico, aut Catholico.* Si aberro ab Inſtructoris mente, gravius erravit ipſe, qui, vt aberrarem fecit non uno modo.

Rem ergo ipſam agamus; *hoc modo demonſtratur*, inquit, *non eſſe de fide, aut fide divinâ credendas definitiones Eccleſiæ de Quæſtionibus facti*; quibus ſcilicet ambigatur de ſenſu libri hæretico, aut Catholico. Quo autem iſtud modo *demonſtrat* ? hoc ipſo c: *Si aliquid probetur non contineri in ſcripturâ, vel traditione, demonſtratur non eſſe de fide.* Suppleamus: *Atqui probatur non contineri in ſcripturâ vel Traditione, quod inſit huic libro perverſa, rectave doctrina* ergo &c. Hic ille eſt modus, quo demonſtrat Tyroni ſuo, neque animadvertit, modo iſto, ſi quid habet roboris convulſum iri, quidquid eſt doctrinæ ſacræ in Eccleſiæ ſcriniis, quidquid decretorum fidei, ſacrorumve canonum extat uſpiam. *Ferendus eſt diſputator* (verbis utar Auguſtini d) *errans in alijs quæſtionibus non diligenter digeſtis, ... non tantum progredi debet, ut etiam fundamentum ipſum Eccleſiæ quatere moliatur.*

c Inſtruct: Reg: 7. pag. 23.

d ſerm. 14. de verbis Apoſt. in fine.

Ego verò demonſtro, quod aiebam, convulſum iri demonſtratione iſtâ, quidquid eſt fidei decretorum. Ac ne multa; exhibe mihi fidei decretum, quod cenſeas omni cavillatione liquidiſſimò exemptum. Placetne, in manus ſumi Tridentini Concilij decretum de Iuſtificatione, quo nullum Tridenti rerum copiâ, & mole gravius, nullum majori ſtudio elaboratum eſt? e Nemo recuſabit: Tum ſuo Inſtructori demonſtro argumento, *non eſſe de fide aut fide divinâ credenda*, quæ habet decretum hoc de Iuſtificatione: eſt enim illo Iudice, quæſtio facti, rectamne habeat doctrinam decretum hoc, ſeu liber de Iuſtificatione. Atqui *demonſtratum* cenſet *non eſſe de fide, aut fide divinâ credendas definitiones Eccleſiæ de Quæſtionibus facti.* ſuum ipſi demonſtrationis modum adhibeo. *Si aliquid probetur non contineri in Scripturâ, vel*

e conſtat ex Trid. Concil: Hiſt. lib. 8. C 5. e. 9. C. 13.

vel Traditione, demonſtratur non eſſe de fide. Atqui probatur non contineri in ſcripturâ, vel Traditione, quod inſit huic libro, vel decreto de Iuſtificatione doctrina orthodoxa: eſt enim facti quæſtio iſta.

Rectène demonſtravi? An ſecus? Num liber non eſt decretum de Iuſtificatione? tam eſt liber, quam *Inſtructio ad Tyronem*, aut *Apologia* hæc: quid etiam refert quàm magnus ſit liber? Num quæſtio facti non eſt, rectamne doctrinam contineat liber iſte? Nulla igitur eſt alibi facti quæſtio, quâ inquiritur de ſenſu, aut doctrinâ libri rectâ, perversâve; Catholicâ, aut hæreticâ. Num libri, ſeu decreti de Iuſtificatione à Concilio editi ulla eſt mentio in ſcripturâ; aut traditione? nihilo magis, quàm libri *de gratiâ Chriſti Salvatoris* editi ab Antiſtite, ſeu Hipponenſi, ſeu Iprenſi.

At, inquies, liber, ſeu decretum de Iuſtificatione, liber eſt, ſeu decretum Concilij ipſius Tridentini. Quid ad rem id facit? Num enim aut Concilij Tridentini, aut libri à Concilio editi, Scriptive ulla eſt mentio in Scripturâ, aut Traditione? Tenet ergo vim ſuam ratio, quâ utitur ille; *Si aliquid probetur non contineri in Scripturâ, vel Traditione, demonſtratur non eſſe de fide.* Quid etiam eſt, cur Tridentini Concilij librum, ſeu decretum nuncupes? niſi quia declaravit Concilium dogmata fidei eſſe, quæ habet liber? atqui nihil id nos iuvat, ſi probetur non contineri in Scripturis, aut Traditione, fidei dogmata habere librum hunc: eſt enim hæc facti quæſtio. Decretum de Iuſtificatione, priuſquam à Concilio probaretur liber erat, non Concilij, ſed aliorum: Decretum illud iuſſi ſunt conficere ex Tridentinis Patribus viri lectiſſimi; ſed qui errare poſſent, ut eventus docuit: aliis aliiſque dari oportuit recudendum, donec ea exivit forma, quæ Concilio probata eſt. Nihil hic firmi habemus, ſi uſquam alibi errare poteſt Eccleſia iudicium ferens de rectâ, perversâve libri doctrinâ.

Et ſi haud neceſſe eſt, ſumamus & à Græcis exemplum. Noſtin' illos Canones duodecim, quos vulgò Epheſinos vocant? Anathematiſmi ſunt Cyrilli ex Alexandrinâ Synodo, quæ œcumenica non fuit, in Neſtorium vibrati: Sed Epheſina Synodus generalis III. Epiſtolas Cyrilli Synodicas duas, quarum altera Anathematiſmos continet, *publicavit, firmavitque*; ut aſſeritur in Chalcedonenſi Synodo *f*, quæ & ipſa deinde, ut & V. Sy- *f* Actione 4. In principio

nodus, atque ut videtur VI. in ſuis vnaquæque definitionibus fidei, Epiſtolis ijſdem authoritatem ſuam adiunxit.

Illos mihi fidei Canones invictos, atque inexpugnabiles argumentatio eadem expugnabit: etenim *Si aliquid probatur non contineri in Scripturâ, vel Traditione, demonſtratur non eſſe de fide.* Scripturam exhibe, aut Traditionem ſacram, quâ nobis conſtet, Epiſtolam Cyrilli, vnde ſumpti ſunt Canones, Doctrinam habere orthodoxam: quæſtio facti eſt ſcilicet, rectamne, an perverſam doctrinam habeat Epiſtola Cyrilli: ibi omnis effuſa authoritas tot Synodorum Epiſtolam confirmantium.

Quid, inquies, ibi nos detines, ubi aliena ſcripta approbavit, damnavitque Eccleſia? omnis periculo erroris exemptus ſtabit canon, quo ſuis verbis conceptam veritatem, aut Hæreſim approbarit, damnaritve. Nihil hoc eſt penitus. Non hoc ſolent Concilia, ac ne Pontifices quidem. Demus, ſolere: vis ſua perſtat argumentationi *non continetur in Scriptura, aut Traditione*, hæc omnino verba, quæ contexuit Concilium, aut Pontifex, rectam habere perverſamve doctrinam. Quæſtio facti & hic verſabitur nihilo minus, quam alibi.

At de ſenſu, qui eſt impreſſus Pontificiæ menti, aut Concilij, cum definit, poteſtne, inquies, dubium eſſe Pontifici, aut Concilio? Non hoc ago, neque ad rem id facit: aio de orationis ſenſu verbis etiam ſuis conceptæ, errare poſſe Pontificem, aut Concilium, ſi poteſt de libri, aut orationis ſenſu alienis verbis conceptæ. Quod ſi unum hoc poſtules, ut errare Eccleſia poſſit de ſenſu, qui fuit impreſſus animo ſcriptoris privati, non litigabo: non enim hoc erat, quod torquebat *Iniquitatis filios* g, dormitantem, ſermoniſve ſui ignarum ſcripſiſſe novum Doctorem: Scriptionem ipſam, ſenſumque ſcriptionis ſanum, ac ſalvum volebant.

g Alexand: VII. conſtit *ad ſacram*

Videmuſne tandem id, quod agebam, nullum eſſe penitus decretum fidei, quod non eneryet argumentatio Inſtructoris, Si nervum cogitetur habere? Sed ſuperis gratia, quod nervum non habeat: hoc ipſum viâ directâ nihil negotii ſit oſtendere.

Si aliquid probetur non contineri in Scripturâ, aut Traditione, demonſtratur, non eſſe de fide. Per me licet. Perge verò. Atqui *non continetur in Scripturâ, aut Traditione*, quod propoſitiones libri Janſeniani de gratiâ Chriſti hæreſim habeant. Vel ſic: *non con-*

continetur in Scriptura, aut Traditione, quod propoſitiones de Iuſtificatione, quibus Anathema dixit Trid. Concilium in ſextâ ſeſſione, hæreſim habeant.

Reſpondeo contineri enimvero utrumque & in Scripturâ,& in Traditione. Etenim & in Scripturâ,& in Traditione Propoſitiones continentur illis contrariæ, quas habet liber iſte, uti & illis,quas anathemate percutit;Trid: Concilium. At ais, non affirmat Scriptura, aut Traditio contrarias eſſe. Fruſtra id requiris: quæſtio quâ ambigitur Sintne illæ contrariæ propoſitionibus Scripturæ, eſt omnino quæſtio de ſenſu Catholico Scripturæ ipſius; quod homini non tardo eſt perſpicuum: etiamne hoc requiris, ut ad propoſitiones Singulas Scriptura in ſe reflexa enuntiet, hunc eſſe Catholicum propoſitionis ſuæ ſenſum? Abeſt à Scripturâ genus hoc ridiculi: abeſt itidem à ſacris Traditionibus: neque eâ cauſâ timemus, ne erret Eccleſia declarans Scripturæ ſenſum Catholicum, quod ipſum eſt declarare oppoſitum Scripturæ ſenſum hæreticum. Similiter ergo ne timendum quidem eſt, ne erret Eccleſia hæreticum declarans oppoſitum Scripturæ ſenſum, ſeu illum verbis ſuis expreſſerit ipſa in Concilio, aut alibi, ſeu verbis expreſſum privati ſcriptoris acceperit (quid enim ad rem id attinet?) eſtque hoc ipſum declarare oppoſitum huic ſenſum ſcripturæ eſſe Catholicum, ut per ſe patet.

Expediamus. Summa hæc eſt. Non potuit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ authoritatem concedere falli neſciam in docendo, eidemque relinquere erroris periculum de ſenſu libri, ſcriptionis, ſermoniſve humani Catholico, aut hæretico: docere enim illa non poteſt niſi humano ſermone, nihil intereſt propriuſne Eccleſiæ, an privati Scriptoris ſermo ſit, ut ex iis,quæ diſſerui, intelligitur.

Sed quam invidiam feret Inſtructor apud eam ſectam, cujus quondam Coryphæo tam eſt amicus? [h] quo pacto ſe purgabit *præſtantiſſimis viris*, ut appellat, quibus dolet non eſſe parcitum in Diatriba? [i] *Primum illi poſt Scriptores Canonicos habent Auguſtinum, ubi de gratiâ diſſeruit* [k] Etenim Auguſtini ſcripta illa Pontifices, & Concilia approbarunt. Habetne Subductum locum in Scripturâ ſacrâ, aut Traditionem aliquam, unde conſtet orthodoxam ineſſe doctrinam Auguſtini libris, quos de gratiâ Scripſit? & Auguſtini, & librorum de gratiâ incognita ſunt nomina

[h] Vide Inſtruct. Reg: 8. pag: 35.
[i] defens. pag 3.
[k] libro proœmiali

nomina Traditionibus, & Scripturis ſacris: ſtudeat igitur, cenſeo, Inſtructor placandis ſibi viris, & amicis, & *Præſtantiſſimis.*

l Inſtruct: Reg 7. pag 23.

Imò ſibi ſe placet ipſe, concilietque. *Demonſtratur*, ait, l *non eſſe de fide aut fide divinâ credendas definitiones Eccleſiæ, etiam in Concilio generali de quæſtionibus facti.* His quæſtionibus, ut oſtenſum eſt, adnumerandam cenſet eam, quâ de ſenſu, & doctrinâ libri quæritur: iſti ergo aſſertioni quo pacto congruat oratio, quâ utitur ad regulam octavam explicari velim. Sic habet illa: m *Tertio modo utitur Eccleſia ſuâ infallibilitate, quando communi conſenſu approbat Pontificum decreta, definitiones, & deciſiones in materia fidei, item in generali approbat Traditionem contineri in libris, & ſenſis Sanctorum Patrum; & in particulari in Symbolo Sancti Athanaſii contineri fidem Sanctiſſimæ Trinitatis, & in libris S. Auguſtini Traditionem de gratiâ, & prædeſtinatione.* Quid ais vir præclare? Definitiones Eccleſiæ in facti quæſtione, in quæſtione, inquam, de libri ſenſu, & doctrina, *non ſunt de fide, aut fide divinâ credenda*: & tamen *utitur Eccleſia ſua infallibilitate* approbans Pontificum decreta, quibus illi ſtatuerunt *in Symbolo S. Athanaſii contineri fidem Sanctiſſimæ Trinitatis, & in libris S. Auguſtini Traditionem de gratiâ, & prædeſtinatione?* Quî poſſunt, amabo, illa convenire? Anne Quæſtio de Auguſtini, & Athanaſii doctrinâ quæſtio facti non eſt: ullaque alibi eſt quæſtio de doctrinâ libri, quæ facti ſit quæſtio? de Athanaſii Symbolo, & Auguſtini libris judicare poteſt Eccleſia, ſine erroris periculo, atque uſquam alibi eſt liber controverſias tractans eaſdem, de quo ſine erroris periculo iudicare non queat? Commentatione erit opus pervigilatâ, ut credibilia nobis reddantur iſta.

m Inſtruc Reg 8: pag 27.

Erit, qui deſideret antiquis Patrum, Pontificum, & Conciliorum monumentis ſtabiliri Eccleſiæ authoritatem in eâ facti quæſtione, quam vulgò nuncupant, hactenusque tractamus: acta res eſt in Diatriba n oſtenſumque luculentè, & ſummis Pontificibus, & generalibus Conciliis morem hunc fuiſſe conſtantem, ut errores damnarent non abſtractos à libris ſcriptorumque ſenſu, & imaginarios, ſed libris ipſis ſcriptoribusque affixos: hoc antiquiſſimi Pontifices Innocentius contra Pelagium; Cœleſtinus contra Neſtorium; Martinus contra Monotelitas, hoc alii ordine longiſſimo, quem contexuit accuratione ſummâ Eruditiſſimus D. Nicolaus du Bois o ſuum putaverunt munus

n Diatrib: ad Aſſert 7 § 3. § 4.

o Quæſt de Author: Pont

nus

nus eſſe: his Pontificum ſententijs acquievit ſemper Eccleſia ut oraculis, e cælo miſſis.

Generalibus Conciliis tam fuit uſitatus mos idem, ut affirmare auſim nullum eſſe, quod contra hæreſes coactum ſit, quin ſibi authoritatem ſumpſerit ſententiam ferendi de libri cujuspiam, ſermonisve Doctrinâ, aut ſenſu. Schiſmaticos, Hæreticosve eos habebant, qui anathema recuſarent dicere, non utcumque erroribus, ſed libri, certique hominis erroribus. Senſerunt in ipſa Synodo Nicœna Euſebius Nicomedienſis, & Theognis Nicœnus: Confeſſioni fidei nihil morabantur nomina ſubſcribere: detrectabant verò anathema Ario, eiuſque doctrinæ dicere, *quod minimè crederent, eum, qui erat accuſatus, hominem eius generis fuiſſe.* Pluribus non fuit opus, ut pro hæreticis haberet illa Synodus, ſedibusque expulſos exilio mulctaret.

Senſit idem in Chalcedonenſi Synodo Theodoretus. Non ſe probabat ſatis illis Patribus oratione frigidâ: *omnem hominem dicentem, vel opinantem duos filios anathematizo.* Contrà Epiſcopi clamaverunt. *Dic apertè anathema Neſtorio. Clarè dic anathema Neſtorio, &* DOGMATIBVS EIVS: cumque tergiverſaretur, Epiſcopi clamaverunt: *ille hæreticus eſt: iſte Neſtorianus eſt: hæreticum foras mitte.* Tandem verò, ut ſibi expreſſit iſtud, ANATHEMA NESTORIO, Iudices dixerunt; *omnis iam dubitatio de Theodoreto Epiſcopo ſublata eſt; quippe Neſtorium coram nobis anathematizavit.* Omnes Epiſcopi clamaverunt: *Theodoretus dignus eſt ſede Eccleſiæ: Orthodoxum Eccleſia Paſtorem recipiat; Theodoreto Catholico Doctori reddatur Eccleſia.*

Senſere idem Hiberniæ, atque Iſtriæ Epiſcopi, damnatis à V. Synodo *tribus capitulis* pertinacius affixi: rem habet explicatam Diatriba *p*: hanc adeat qui plura deſiderat. Vnum animadvertat Inſtructor, Theodoreti confeſſioni frigidæ, *Omnem hominem dicentem, vel opinantem duos filios, anathematizo*, haud abſimilem eſſe hanc *q*: *proteſtor me quinque propoſitiones in illis* conſtitutionibus *damnatas pariter damnare, & ut merito damnatas rejicere.* Hic verò Chalcedonenſes Patres, omnesque Epiſcopi clament: *dic apertè anathema* DOGMATIBUS EIUS. Sed nos purgantem ſeſe audiamus

p Diatriba; à Num: 364.

q defens: pag: 22.

IV. *Satiſne*

IV.

Satiſne de his ſe purgarit Inſtructor.

r Defenſ. pag. 21.

ſ Inſtruct. Reg. 7. pag. 23.

VIdeamus ea, quæ Inſtructionis loco iſto, quem tractavi proximè eſt molitus in *defenſione* ſuâ inſtructor: *Vel*, inquit, [r] *evertendum eſt fundamentum regulæ, vel admittenda conſequentia, cum ſit legitima.* Neutrum faciendum. Fundamentum Regulæ, quod appellat, hoc erat: [ſ] *Si aliquid probetur non contineri in Scripturâ, vel Traditione; demonſtratur non eſſe de fide.* Accipio prorſus: At ille verò concludens abſolute, *de fide eſſe non poſſe definitiones Eccleſiæ de quæſtionibus facti*; adeoque & de quæſtionibus, quæ de ſenſu libri Catholico, aut Hæretico agitentur, aſſumit tacitè, non contineri in Scripturâ, aut Traditione id, quod inquiritur quæſtione facti, ſeu quæſtione de ſenſu libri Catholico, aut Hæretico. Hoc vero pernegandum eſt: ratioque ipſa ex iis, quæ diſſerui, eſt perſpicua homini non tardo.

t Defenſ. pag. 21.

Intricat quiddam injecta vocula SI: *ſi*, ait, [t] *quæſtiones illæ facti non contineantur Scripturâ, vel Traditione, non poſſunt eſſe de fide.* Sed verò nihil agit, niſi damnet argumentationem, quâ concluſit abſolute, minímeque reſtricte, *de fide eſſe non poſſe definitiones Eccleſiæ de quæſtionibus facti*; præcipuè cum ne in *Defenſione* quidem diffiteatur id, quod monuerat Author Diatribæ, quæſtiones facti eas quoque hodie dici, quæ de ſenſu libri inſtituantur: neque neget, ſic acceptam à ſe eſſe vocem, ut comprehendat quæſtiones illas.

u Defenſ. pag. 21.

x De Conc. Auth. l. 2. c. 8.

z Diatrib. à num. 390.

Ferre opem jubet Doctores Theologos [u] ſed unum præ omnibus nominaſſe habet ſatis Cardinalem Bellarminum [x]; idque nullâ mentione Diatribæ, qui nitidiſſimè exemptum invidiâ iſtâ Cardinalem exhibuit [z]. Plus nihil, imo difficultatis multò minus faceſſit locus Bellarmini, quem appellat, quam ea quæ criminari ſolent Inſtructoris Partiarii, quæque eſſe abs re alieniſſima oſtendit Author Diatribæ. Nihil ſcilicet ex loco iſto conficiet Inſtructor, niſi exiſtimaſſe Bellarminum errare poſſe Concilia in eâ quæſtione, quâ quæritur, an reus mortis ob flagitium ſit quiſpiam; quæ eſt de illarum genere quæſtionum, quas alibi Bellarminus [a] appellat *controverſias facti particularis, quæ ex informatione, teſtimoniiſque hominum præcipuè pendent*, ſuntque diverſiſſimæ.

a L. 4. de Rom. Pont. cap. 2.

ſiſſimæ ab iis quæſtionibus, quæ de libri doctrinâ Catholicâ, aut hæreticâ ſolent inſtitui, ut ex iis, quæ diſſerui, liquet.

Mitto parerga quibus loci, quem tractamus, expurgationi proludit, de duobus principiis *Scripturâ*, & *Traditione*, de quibus eſt ſecunda regula [b]; *Sacra Theologia à duobus tantùm principiis eſt petenda, Scripturâ ſcilicet, & Traditione.* Poſſem, ſi liberet, regulam iſtam exagitare non uno modo. Hoc aio, ut vera ſit regula, expliceturque benigniſſimè, ad uſum ipſum Tyroni Theologo parum eſſe conducibilem. Commendandi erant ſtudioſiùs Theologici loci, unde nobis innoteſcere oportet Traditionem, ſenſumque Scripturæ; inculcandum verò, præſtantiſſimos, maximèque ſecuros, atque ad uſum ipſum magis accommodatos eſſe locos, generalium Conciliorum, & ſummorum Pontificum decreta: cavendum erat, ne *Inſtructione* totâ injiceretur Tyroni Theologo immoderatus ardor, ſtudio, & judicio ſuo inveſtigandi Traditiones per obſcura antiquitatis monumenta, qui non nullos, quos *præſtantiſſimos viros* appellat Inſtructor [c] præcipites egit in errores pernicioſos, poſthabitis Pontificum decretis, certoque ſenſu Eccleſiæ nobis coævæ. Sed non moretur nos regula de duobus principiis, quando illam nec verbo infirmare ſtuduit Author Diatribæ. Improbavit ea, quæ ex regulâ conficere eſt conatus Inſtructor: illorum ſpecimen jam vidimus. Negat ipſe, ea ſe confeciſſe ex regulâ ſecundâ: confeciſſe ait [d] ex ſeptimâ, mox verò fatetur *regulam ſeptimam coincidere cum ſecunda*: hoc genus vocamus vitilitigationem. Sequuntur non pauca de Canonizatione Sanctorum: iſta quoque in parergis, nihilque ad ſe attinentibus numerat Author Diatribæ: qui particulam iſtam inſtructionis non improbaverit: quam ſit verâ ſic amplè nullâque reſtrictione poſita, alii diſpicient.

Eſt verò tandem, quod ex te amicè quæram, vir erudite. Quare cum animadverteres [e] tua illa ſic accepta eſſe, ut metueretur, ne quid ſiniſtrè ſentires de graviſſimis Conſtitutionibus Innocentij X. & Alexandri VII. propoſitiones quinque damnantium *in ſenſu ab Authore intento*, quare, inquam, non es infitiatus diſertè, quæſtionem facti ſic à te accipi, quomodo ſolet vulgò, ut eam quoque involvat, quâ de libri ſenſu inquiritur? quid illa placuit tam parca fidei confeſſio [f]; *Profeſſor me quinque Propoſitiones in illis damnatas pariter damnare, & ut meritò damnatas rejicere?* Cur non addidiſti, quod habet expreſſum

[b] Inſtruct. Reg 2. Pag. 8.

[c] Defenſ. pag 3.

[d] Defenſ. pag. 18.

[e] Pag. 21.

[f] Pag. 21.

Alexandri VII. Conſtitutio; *Propoſitiones damno* IN SENSU AB AUTHORE INTENTO?

Quàm ſalubri præiſſes exemplo Tyronibus illis, quorum in manibus verſata eſt *Inſtructio*! didiciſſent illi, quid ſe æquum eſſet facere, qui *religioſam obſervantiam* utriuſque conſtitutionis in Academiâ hac promittunt & jurant.

Non poſſum denique quin huc accommodem Epiſtolam gravem Pelagij Papæ. Damnaverat V. Synodus *Tria Capitula*; erroreſque percuſſerat Anathemate non imaginarios; ſed Authoribus ſuis, Authorumve ſcriptis affixos, ſic prorſus g *ſi quis defendit impium Theodorum Mopſueſtenum, qui dixit &c. talis anathema ſit. ſi quis defendit impia Theodoreti conſcripta, quæ contra &c., talis anathema ſit. Si quis defendit Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam hæreticum ſcripſiſſe &c., talis anathema ſit.* Mos iſte ſententiam adverſus hæreſes dicendi conſtans Eccleſiæ fuit ſemper, ut oſtenſum eſt jam ſæpius. Porrò V. Synodi ſententiam ſic excepit Orbis Chriſtianus, ut cum fuiſſet diſtractus in factiones fœdas, exinde perpauci pergerent tueri *Tria Capitula*, quos inter eminebant Iſtriæ Epiſcopi, eâ causâ & Schiſmatici habiti ab orthodoxis, & à Pelagio gravi Epiſtolâ perſtricti. Epiſtolam omnem nominibus quibuſdam mutatis non ſit difficile iis aptare, quos ſui amor Doctoris abripit uſque eo, ut graviſſimis Pontificum ſanctionibus futilem facti quæſtionem impingere non vereantur. Nolim ego involvi Inſtructorem, ſibi is lector ſumat, qui ſenſerit ſe egere. Delibo ex Epiſtolâ hæc pauca. h *Si cum ſtudio caritatis, quæ à nobis ſcribuntur, cum timore Domini ſollicitè, vigilanterq; relegitis, facilè ſentietis, quantum ſit periculum pro ſuperfluis quæſtionibus, &* HÆRETICORUM DEFENSIONE CAPITULORUM, *tam diu ab univerſali Eccleſiâ ſegregari. Nolite ergo amore jactantiæ, quæ ſuperbia ſemper eſt proxima, in obſtinationis vitio permanere: quando in die Iudicii nullus veſtrûm excuſare ſe valeat: & neque Theodorus Mopſueſtia, neque Iba Epiſtola, quæ ab adverſariis eſt prolata ante tribunal tanti Iudicis vobis valeat ſubvenire.*

g Synod. V. Collat. 8.

h Pelagius Papa II. ad Epiſcopos Iſtriæ.

V.

Redarguitur Inſtructor Florentino Concilio œcumenico derogans graviter, dum Baſileenſis Conventiculi Patres veneratur.

NOta etiam imperitis eſt conflictatio Conciliorum Florentini, & Baſileenſis: non poteſt, hoc pariter, & illud eſſe legitimum, quando alterum alterius acta reſcidit, refixitque, diris ultro citroque miſſis Anathematis. Quare eum neceſſe eſt Florentino Concilio derogare, qui Baſileenſi faverit.

Verba reſumamus Inſtructoris. *Alii*, inquit, *x addunt quartum modum Eccleſiæ infallibilitatis, quando ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit: ſed quia illum non admittunt graviſſimi Pontifices, & Doctores, & contrarium ſenſerunt Patres Concilii Baſileenſis, eum intactum, ut dubium, & adhuc ex principiis ſuis eruendum prateribimus.* x Inſtruct. Reg. 8. pag. 72.

Sunt hæc dubitantis veriùs, an ſit legitima Synodus Baſileenſis, quàm judicantis legitimam eſſe: ſed profecit in *Defenſione* haud parum: ibi enimverò contendit SACROSANCTAM eſſe Synodum: Vide quo argumento: *ſi conventiculum ſit*, inquit *z*, *Concilium Baſileenſe Eccleſiæ execrandum, & Pontifici rebelle, cur etiamnum viſitur in Tomis Conciliorum ...... cum hac inſcriptione*; Decreta & acta Concilii Baſileenſis deſumpta ex Authenticis exemplaribus plumbo ejuſdem SACROSANCTI CONCILII firmatis? *Quis Tyro Theologus, imò & ego, & quivis alius, dum hæc legit, ſuſpicabitur*, SACROSANCTUM *iſtud Concilium eſſe infame Conventiculum, execrandum, Pontifici rebelle? Quis bonâ fide non venerabitur Patres Concilii, quod permittente Eccleſiâ intitulatur* SACROSANCTUM? *Quod ſi tale non eſt, author ſim, ut quantocyus procuret tomos iſtos Conciliorum ſupprimi.* Argumentum hoc grande infra diſſolvam: hîc iſtud agebam, ut appareret profeciſſe Authorem. z Defenſ. pag. 32.

Et tamen poſt pauca negat *a* ſibi eſſe *legitimam* Synodum Baſileenſem, inſinuans dubiam ſibi eſſe authoritatē Synodi. Hæc quo pacto conveniant, non intelligo. Si Baſileenſis Synodus eſt *Sacroſancta*, profectò eſt legitima: nam ſi legitima non eſt, conventiculum eſt execrandum, imò *latrocinium*: ſic enim in Eugenii conſtitu- a Defenſ. pag. 33.

 tione

b Conſtit. *Moyſes vir Dei.* tione *b* declaravit Florentina Synodus, quam conſtat eſſe legitimam, ſi Baſileenſis non eſt legitima: quare ne *Sacroſancta* quidem eſt, ſi legitima non eſt. Atqui Sacroſancta eſt Inſtructori, ut jam patuit: ergo & legitima.

Fortaſſe in eo errare me dicas, quod affirmo Sacroſanctum Inſtructori eſſe Baſileenſe Concilium. Quid ego aliud cenſeam velle ſibi hæc; *Permittente Eccleſiâ intitulatur Sacroſanctum: quod ſi tale non eſt, author ſim, ut quantocyus procuret tomos iſtos Conciliorum ſupprimi?* Colonienſes ſcilicet, & nuperos Pariſienſes. Quid item aliud hæc; *Quis dum hæc legit, ſuſpicabitur Sacroſanctum iſtud Concilium eſſe infame Conventiculum?* Conſtat infame conventiculum eſſe, ſi Sacroſanctum non eſt: ſic enim declaravit Florentina Synodus, quæ & Sacroſancta eſt, & legitima, ſi Sacroſancta non eſt, aut legitima Baſileenſis.

Per me licet tamen, ut calculos reducat, & dubitare pergat. Oſtendo ne dubitandum eſſe quidem, an ſit legitima Baſileenſis Synodus, & quidem hac viâ.

Si tibi eſt legitima Baſileenſis Synodus, ſpuriam eſſe oportet Florentinam. Conſecutio eſt perſpicua; res verò ipſa conſequens perabſurda: oportet ergo non eſſe tibi legitimam Baſileenſem Synodum; ac ne dubium quidem eſſe, an legitima ſit. Abſurditatem rei, quam dicebam, expedient notæ ipſæ, hinc quidem infamiæ, & infirmitatis, quâ laborat Baſileenſis conventus: iſtinc verò Majeſtatis legitimæ, quam in Florentinâ Synodo veneratur Eccleſia.

Infamis nulliuſque roboris, atque omnino latrocinium verius quàm Concilium fuit jam olim conventus ille, qui Epheſi ex libidine Dioſcori Alexandrini Patriarchæ eſt celebratus: de hoc mihi conſentientem habeo omnem retro antiquitatem, eſtque res in confeſſo apud omnes hodieque. Aio, nihilo majori honore dignum eſſe Baſileenſem conventum. Conferamus utrumque. Generalis ex orbe Chriſtiano Baſileam indictus erat conventus; generalis itidem conventus Epheſum. Convênit Baſileenſe Concilium annuente Eugenio IV. Epheſinum itidem Concilium annuente Magno Leone Papa. Ad Baſileenſe Concilium miſit legatum Eugenius Julianum Diaconum Cardinalem, alioſque. Ad Epheſinum itidem Concilium legatos miſit Leo ejuſdem nominis Julianum Epiſcopum Cardinalem, ſimulque Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum Cardinales *c*.

c Leo. piſt. 25.

Lega-

Legationem Pontificiam admiſit Baſileenſe Concilium: admiſit quoque Concilium Epheſinum [d]. Hæc ſunt, quæ ſpeciem quamdam legitimi Concilii adumbrant Epheſino pariter, & Baſileenſi Conventui. Cetera videamus.

[d] Conſtat ex actis Concilii in principio.

Legatis Pontificiis in Concilio Epheſino fungi non licuit legatorum munere; ne quidem in Baſileenſi Concilio id licuit Pontificiis legatis: manifeſtum id facient eæ leges, quas ſuis Præſidibus ſcripſere Baſileenſes ſeptimâ decimâ ſeſſione: compendium feciſſent ſi pictos Præſides induxiſſent. In Epheſino Concilio ſublatâ libertate, vis & fraus Dominata eſt: aio & in Baſileenſem Synodum rectè annotaſſe Annalium Scriptorem [e] *omnia vi, & fraude fiunt*. Epheſo, ut ſalvus eſſet, profugere oportuit Hilarum Concilio Præſidem à Leone datum. Baſileâ pariter Concilii Præſes Joannes Archiepiſcopus Tarentinus, indigna paſſus permulta profugere habuit neceſſe, atque etiam armis tutari fugam. Epheſi qui remanſerant ſedis Apoſtolicæ legati durum cum Dioſcoro, ejuſque Partiariis certamen ſuſtinuere: Baſileæ pariter qui remanſerant, quoad licuit, legati, & Concilii Præſides, adverſus nefarios auſus illius convetus, quas preces, quas minas, arteſque conſumpſerint, orbem chriſtianum docuit Eugenius [f]; *conſcientias* denique *exonerando ſuas excuſabant coram cælo, & terra innocentiam ſuam*. Ne verberibus quidem plagiſque parcitum in Epheſino latrocinio: quid Baſileæ? Eugenius prodidit [g]: Archiepiſcopum Tarentinum Concilii Præſidem generalibus conventibus interdictum *in domo propriâ tumultuario multitudinis impetu detinere, & quodammodo carcerare moliti ſunt. Gravamen præterea gravamini addentes, dicti Archiepiſcopi Procuratorem, pro juſtitiâ illius in generali congregatione loqui volentem manibus injectis percuſſerunt, ac per capillos ad carcerem trahere conati ſunt* &c. Alia commemorat Pontifex, ad quæ & *obſtupuerit*, & *vehementer exhorruerit* Sigiſmundus Imperator. Sed & alia dedit Diatriba [h], ipſo Æneâ Sylvio authore, qui & ſpectavit coram ſingula, & Baſileenſibus impensè favit, ſeditioni plebeiæ, & latrocinio congruentiora, quàm Concilio: atque illud inprimis, quod & Sylvius fatetur, Panormitano, aliiſque ab Eugenio ſtantibus terrorem truncandorum capitum minaciſſimè objectum eſſe à Patriarchâ Aquileienſi.

[e] Spondan. ad an. 1439. num. 27.

[f] Conſtitut. Doctoris gentium.

[g] Ibidem.

[h] à n. 270.

Denique exorbitavit à recto Fidei tramite Epheſina Synodus hæreſi Eutychianæ ſubſcribens: exorbitavit quoque Baſileenſis,

i Seſſ. 33. cum declaravit *i*, *veritatem de poteſtate generalis Concilii ſupra Papam .... eſſe veritatem* FIDEI CATHOLICÆ, *atque huic veritati pertinaciter repugnantem eſſe cenſendum hæreticum.* Hanc Baſileenſium definitionem abdicat, repudiatque hodie Eccleſia Catholica: nemo eſt omnium, ut maximè putet Concilium Papâ eſſe majus, qui ſentiat, eam eſſe *veritatem fidei Catholicæ.* Enimverò infirmando Baſileenſi Concilio unum hoc eſt argumenti ſatis: erravit fœdè hæc definiens.

Accipe etiam Baſileenſium dedecora propria, ac præcipua.
k Seſſ 33. Quid illud Seſſionis fuit, ubi ſunt concluſæ *veritates k fidei Catholicæ*, quas vocabant, *de poteſtate Concilii generalis ſupra Papam?* jam pridem,
l Ad an. 1437. ut Spondanus oſtendit *l advocarant ex vicinis oppidis, & civitatibus Sacerdotes, eoſque qui in familiari obſequio Patrum erant, togatos in Eccleſiam admiſerant, & jus ſuffragii Presbyteris dederant.* Dilapſi Baſileâ erant, quos pro Eugenio præſidere oportebat: Præſidem factioſi ſuppoſuerunt Arelatenſem: hic ipſe terroribus adigendus fuit, ut concluderet: non potuit, niſi dolo, & aſtu conciliatâ audientiâ: concluſit denique: His probris fuit opus, ut procuderentur bellæ *veritates fidei Catholicæ de poteſtate Concilii ge-*
m Ad an. 1439. *neralis ſupra Papam.* Exclamare cum Spondano *m* liceat, *nonne ſunt iſta præclarè in ſpiritu ſancto concluſa? ô propudium! ô colluviem!*

Accipe tandem faſtigium ſupremum dedecoris, atque infamiæ. Dioſcorus Alexandrinus Epheſini Latrocinii Inſtructor in Leonem Papam anathema retorſerat auſu nefario. Dioſcorum imitatus Photius, coactâ Pſeudo-ſynodo facinus idem in Romanum Pontificem Nicolaum eſt auſus. Exhorruit ad hæc Eccleſia Catholica, atque immanem vecordiam in Dioſcoro execrata eſt IV. Synodus generalis; in Photio verò Synodus VIII. verùm quod nulla tot retro ſeculis auſa erat Pſeudo-ſynodus, aut Sciſmatica impietas, eò aſpiravit Baſileenſis conventus, ut Romanum Pontificem indubitatum Eugenium IV. ſolemni decreto non judicaret modò, aut damnaret; ſed, quod in ſe erat, de Apoſtolicâ Petri ſede dejiceret, ac Pontificatu exueret. Hoc illud eſt, quo Epheſina Pſeudo-ſynodus Baſileenſi eſt minus nocens.

Puto cæpiſſe omnino Inſtructorem jam ſuppudere Baſileenſium. En quibus authoribus dubia eſt illi Romani Pontificis authoritas ſeorſum definientis. Illos ipſos ad extremum ſui puduit, pœnituitque, dilapſis quaquaverſum miſeris reliquiis, & Felice V. claves ponente, quas non ſuas geſſerat.

Baſi-

Baſileenſibus ergo miſſis te ego Erudite Inſtructor ex jure manu conſertum voco ad ſanctiſſimum orbis chriſtiani tribunal, quod Florentiæ erexit Eugenius IV. Pontifex Maximus. Huc oculos converte: commovebit te aſpectus ipſe, & ſpecies tam auguſta. Videſne Latinam pariter, ac Græcam Eccleſiam felicibus auſpiciis coiiſſe? nihil hîc opus emptis, ſubornatiſque ſuffragatoribus, quod Baſileæ vidimus: abundant hinc latini Antiſtites, illinc Græci: non hîc fœda Patrum litigia, & clamores Caput aſpernantium: Concilio Pontifex præſidet Eugenius: Pontifici operam navat Julianus Cardinalis Baſileenſium tandem pertæſus, & ne quid majeſtatis deſit, Joannes ipſe Palæologus Imperator, fraterque Imperatoris Demetrius ſplendorem augent venerando cœtui: diſputatur utrâque linguâ, ſucceſſum ipſum fortunante, atque ad Eccleſiæ latinæ ſenſum inflectente Græcorum corda. Hîc Latinos inter Græcoſque convênit in ſententiam Baſileenſibus execratam [n] *diffinimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem Succeſſorem eſſe B. Petri Verticis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, & totius Eccleſiæ caput; & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & in univerſum orbem tenere primatum, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro* JESU CHRISTO *plenam poteſtatem traditam eſſe.* Hîc de additione, *filioque*, hîc de azymi panis neceſſitate in ſacri Altaris myſteriis, hîc aliæ extinctæ lites. n Flor conc. p. 2. collat. 22.

Quid videtur? Non te commovit ſpecies ipſa? non tibi videtur cœlo ipſo approbante conveniſſe cœtus ille? Propius aſſiſtamus, ut nos inſpiciant Patres iſti. Tum verò quid ſi ego ſic accuſem? Hic eſt, Orthodoxi Patres, qui vos Baſileenſibus, ſi non poſthabuit, certè pares fecit dubitatione ſuâ: hic ipſe, qui *Sacroſanctam* contendit eſſe Synodum, cujus Patres declarati ſunt à vobis [o] *Scandalorum duces, pernicioſiſſimi, miſeri, ac degeneres filii, prava, & adultera generatio, Latrocinium, ad quod totius orbis Dæmonia confluxiſſe videantur, impii homines à Deo abjecti, & reprobati, omnes & ſinguli Schiſmatici, & hæretici cum Core, Dathan, & Abiron meritam accepturi portionem.* Hos ille veneratus ſtatuit, ſibi dubitandum eſſe, *an totius Eccleſiæ, & Chriſtianorum omnium Pater, & Doctor* (ſic enim appellaſtis) *Eugenius*, Pontifex vobis præſidens docere Eccleſiam poſſit ſine erroris periculo: Baſileenſium authoritate, hoſtium Romano Pontifici, vobiſque implacabilium nixus dubitat, num & vos exauthoratos, & Romanum o Conſtit. *Moyſes* approbante concilio Flor. edita.

num

num Pontificem Eugenium de ſolio ſuo dejectum legitimè denuntiet.

Sic ego ſi te accuſem in illo orbis theatro tam auguſto, quo te vertas? Vultumne ſuſtineas Eugenii Pontificis, Palæologi Imperatoris, Conſtantinopolitani Patriarchæ; tum verò & Juliani Baſileenſibus tandem infenſiſſimi, & Beſſarionis Cardinalis Nicæni Archiepiſcopi, & ceterorum ex ordine Antiſtitum hinc Latinorum, hinc Græcorum Eccleſiam nobis Orientis pariter, & Occidentis repræſentantium? Ipſe te Marcus Epheſius quem unum tibi propitium ſperet quiſpiam, non ferat: tu verò contra neque conſilio; neque oratione ſatis conſiſtas. Vide ergo tandem, quid te deceat; anne illi te Pontifici, illiſque Patribus dedere, quos omnis hodie Eccleſia veneratur, perexiguâ fortaſſis exceptâ factiunculâ, an Baſileenſes venerari ingloriè *Scandalorum Duces, pravam, & adulteram generationem*: dedi cætera.

Sed inprimis, quoniam ſaltem dubitare convinceris, an ſit legitima Florentina Synodus, quoniam & præcipis *p* eâ nos uti *cautione, & circumſpectione, nihil ut traditum admittamus* SINE EXAMINE, ET DEMONSTRATIONE, *juxta modos ſupra dictos*, ſtatuendum tibi eſt, ſatiſne momenti habeat Florentini Concilii Authoritas, ut, quæ definivit tam varia, præcipuè de Sacramentorum materiis, formis, effectiſque, ea omnia liceat nobis amplecti ut Traditiones ſacras, fideique dogmata inconcuſſa. Non habet illud momenti Authoritas Concilii, ſi tibi credimus; ſpes nulla *demonſtrationem* exſculpendi ex decretis Concilii, cujus dubia ſit Authoritas. Simplices Theologi, ubique terrarum, qui Florentini Concilii audito decreto quopiam ſic percelluntur, ut grande nefas exiſtiment, non conformare diſputationem ad normam decreti, ut fidei regulam: Illi quidem Inſtructionem non viderant: nos hodie *cautiùs*, *circumſpectiùſque* verſari jubemur in controverſiis illis.

p Inſtruct. Reg. 8. pag. 33.

Conſule ad extremum, quid Authoritatis tribuendum cenſeas generali Synodo Lateranenſi ſub Leone X. celebratæ; ſi legitimam Synodum ſtatuas fuiſſe, deſine Baſileenſes venerari, quorum illa conventum, factâ ab Eugenio celebri translatione, decrevit *q* *Conciliabulum* fuiſſe, & *Conventiculum*, cujus acta *nullum robur habere potuerint*. Videſne, ut hujus quoque Synodi labaſcat Authoritas, ſi quid momenti habeat Baſileenſis Pontifici inimica?

q Seſſione 11.

mica?

mica? Sed parum te commovebit labes iſta Lateranenſis Concilii, qui de Authoritate celeberrimæ Synodi Florentinæ induxeris animum dubitare.

VI.

Diſſolvuntur ea, quibus Baſileenſi Conventiculo venerationem conciliare eſt annixus Inſtructor.

Veneratus erat ipſe Conventiculum, cum Baſileenſium Patrum commotus authoritate (certâ, incertâve, non id jam curæ eſt) ſtatuit dubium eſſe, an erroris periculo eſſet exemptus Romanus Pontifex ſeorſum definiens. Iure id à ſe factum probare nititur viâ geminâ.

Primùm quidem authoritate Guiſii Cardinalis à Lotharingiâ, qui ut diſſuaderet, ne quid omnino diſertè in Tridentino Concilio decerneretur de Pontificiâ poteſtate Conciliis maiore (quod alioqui cupiebat ipſe valde [r] ſed tunc quidem iudicabat importunum) epiſtolâ ad Pii IV. Nepotem S. Carolum datâ teſtatus eſt, Pariſienſem Academiam contra ſentire, & Baſileenſi Synodo favere contra Florentinam: certum ſe habere, ſi pro poteſtate illâ Romani Pontificis definiretur, nullum ſuæ Nationis Epiſcopum aſſenſurum.

[r] Hiſt. Conc. Trid. lib. 19. c. 6.

Fatendum eſt, Galliæ Epiſcopos in Tridentino Concilio adverſatos eſſe, ne toties declarata ſuperioribus Synodis, decerneretur expreſsè Pontificia poteſtas Concilio ſuperior: decretum petebant ſuffragatores FERE OMNES: *reſpectu* PAUCORUM QUORUMDAM *Gallorum, qui decimam vix partem conſtituebant retinuit Pontificem, & legatos, ne procederent ad decretum*, ut Hiſtoria refert [s] ſed hos ipſos adverſatos eſſe decreto, & faviſſe Baſileenſi Concilio, quàm non debeat nos commovere, oſtenſum eſt in Diatriba copioſè, & validè [t]

[s] Ibidem.

[t] Introduct. c. 10.

Iam verò quàm cautè illud iudicaverit de Pariſienſi Academiâ Guiſius Cardinalis, ego non ſtatuam. Hoc ſcio, fuiſſe per id temporis, puero Rege Carolo, miſerè infectam Galliam illâ pice, quam Calvinus ſparſerat: inquinatus erat ſenatus ipſe regius [u]: trium Oratorum, qui pro Rege Tridenti verſabantur, unus quidem hæreſim profitebatur palam; ſuſpectæ fidei

[t] Diatri. à num. 245.

[u] Ibidem. c. 4.

erat alter, ſuorumque in Rom. Pontificem incentor gnavus: in Academiam ipſam Pariſienſem circa tempus idem irrepſiſſe conſtat Heterodoxos. *x* Quamquam & hoc ſcio Anno Chriſti M. D LIV. in ſolemnibus Comitiis præclarum à Sorbonâ editum eſſe exemplum pietatis erga Apoſtolicam ſedem, *z* quo etiam elatiùs, ampliùſque quàm erat neceſſe, aut poſtularent ipſi Pontifices, extulêre Pontificiam poteſtatem.

x Teſte Bzovio ſeculo Chriſti 16.
z Vide Maucler de Monarch. p 4. l. 8 c. 6.

Hoc denique ſcio, cum inter alia affirmaſſet Simon Vigorius Gallus homo iuriſconſultus, Concilium Baſileenſe olim ut Regni Gallici Palladium habitum fuiſſe; contra iviſſe Scriptis libris Gallos Theologos; atque in his Sorbonæ Doctorem Andream Duvallium doctrinæ famâ celeberrimum virum *a* primùm quidem ſtatuiſſe generatim, *non aliam eſſe fidem Galliæ, & aliam univerſalis Eccleſiæ: ab univerſâ* autem ECCLESIA. EXPLOSVM, ET REIECTVM *ſemper fuiſſe Concilium illud*: tum verò ex Hiſtoriâ oſtendiſſe, Carolum VII. Galliarum Regem, adeoque & Gallos ſui Regis exemplo Baſileenſis Concilii oſores ſemper fuiſſe: de doctrinâ verò Baſileenſibus exosâ ſic pronuntiaſſe Duvallium ſcio. *b* TOTUS ORBIS EXCEPTIS PAUCULIS *Doctoribus eam amplectitur, & rationibus validiſſimis, cum ex Scripturâ, Conciliis, & Patribus, tum ex principiis Theologiæ petitis confirmatur.*

a Tract. de ſup. Rom. Pont. Poteſt. Anteloq. §. *quo pacto.*
b Ibidem p. 4. q. 7.

Addamus & iſtud. Haud pridem Sorbonæ Doctor Ioannes Launoius ſugillaverat Eugenii decretum pro Armenis conditum in Florentino Concilio. Hæc ipſa tam inſolens res viſa eſt ſcriptori Gallo Raynaudo *c* ut non dubitaverit vel hoc nomine perſtringere hominem ut *contemptorem œcumenicorum Conciliorum, qui admodum arroganter ſupercilium extuliſſet in œcumenicum Concilium Florentinum.*

c Herc. Commodian. Quæſt. 3.

Mirari poſt hæc ſubit, quæ lego *d ſciri totam Galliam quâlibet ſui parte approbare Baſileenſem Synodum, & habere pro legitimâ.* Ego verò ſcio id eſſe alieniſſimum à vero: dictum Guiſii de Pariſienſi Academiâ, & Epiſcopis Gallis, qui Tridenti erant perpauci, improvidè extendit Author ad *Galliam totam, Eccleſiam Gallicanam univerſam e*. Optare quidem eſt iſtud, non diſputare. Atque ex his quidem & ea labaſcunt, quibus ex Seldii pronuntiato apud Imperatorem Ferdinandum terrere nos conatur *f*. valeant hæc.

d Defens. pag. 30.
e pag. 31.
f Ibidem.

Aliam tentat viam Inſtructor *g* ſupprimi iubet Tomos Conciliorum, ſi non eſt SACROSANCTUM Baſileenſe Concilium.

g Defens. pag. 32.

Etenim,

Etenim in Tomis illis viſitur Baſileenſe Concilium hâc Inſcriptione. *Decreta, & acta Concilii Baſileenſis deſumpta ex Autenticis exemplaribus plumbo eiuſdem* SACROSANCTI CONCILII *firmatis.* ſic haberi ait in Tomis Coloniæ excuſis Anno 1551. imò & in Tomis, qui è Typographiâ Regis Galliæ nuper prodierunt.

Conciliis ego utor Coloniæ excuſis Anno 1606. excuſa ibidem Anno 1551 non ſunt ad manum. Utor quoque iis Tomis Conciliorum, quos dedit nuper Regis Galliæ Typographia: utrâque excuſione generalem totius Concilii inſcriptionem ipſi inchoationi præfixam hanc lego: *Concilium Baſileenſe œcumenicum ſub Eugenio IV celebratum* Ex PARTE REPROBATUM *quo ad ea nimirum, quæ ibidem de authoritate Concilii, & depoſitione Eugenii Papæ ſancita fuerunt &c.* Ad verba illa *ex parte reprobatum* ſic habent notæ in Colonienſibus pariter, & Pariſienſibus Tomis. *Hanc Synodum authoritate legitimâ reprobatam eſſe conſtat ex ſeſſione undecimâ Concilii Lateranenſis ſub Leone X celebrati; ubi* CONCILIABULUM SCHISMATICUM, SEDITIOSUM, *& nullius prorſus authoritatis non immeritò appellatur &c.* Attamen Felice V. Antipapâ abdicante dignitatem *Nicolaus* V. ut ibidem leges, *pacis gratiâ approbavit eas Conſtitutiones, quæ de beneficiis Eccleſiaſticis cautæ, & promulgatæ fuerunt.* Crediderim his conſentanea inventurum Inſtructorem in Tomis etiam Colonienſibus, quibus eſt uſus.

Quid ergo proximè ante ſeſſionem primam vult ſibi inſcriptio mentionem habens *ſacroſancti Concilii?* Mirum eſt hac re commoveri potuiſſe, neque animadvertiſſe hoc argumento, *ſacroſancta fieri* conventicula ſatanæ indubitatiſſima. Perlegat Acta Epheſinæ Synodi II: quâ non fuit alia magis deteſtata Eccleſiæ, eaque colligat encomia, quibus & *Sancta Synodus, & magna Synodus, & magnus fidei cuſtos Dioſcorus Alexandriæ Archiepiſcopus* prædicatur. Hæc ipſa viſuntur hodie in Conciliorum Tomis ubique toleratis ab Eccleſiâ: liceтne contendere ſacroſanctam eſſe Epheſinam Synodum II. Scribas cauſabitur, Actorumque digeſtores Dioſcori factioni implicatos iſta exaraſſe. Primùm quidem quid noſtra id refert? cur encomiis illis permittit Eccleſia extare honoratam Pſeudo Synodum in Tomis Conciliorum? Iam verò Baſileenſem inſcriptionem, quæ iactatur, à quo cenſemus eſſe? Quàm facile dictu eſt, Baſileen-

ſileenſibus faviſſe, qui primus Acta deſcripſit: ipſe de ſuo adjecit inſcriptionem illam: Acta deſcripta ad verbum unà cum *inſcriptione*, ita, ut acceperat, in ſuos Tomos retulit Conciliorum collector: cavit tamen Binius, ne approbare *inſcriptionem* videretur, ut iam patuit: neque hîc lectori periculum eſt majus, quàm in aliis Conventiculorum actis, de quibus modò.

Addamus *ſacroſanctam* dici poſſe Synodum, quatenus legitimâ Authoritate & à Martino V. indicta eſt, & ab Eugenio IV. coacta Baſileæ: deſiiſſe verò *ſacroſanctam* eſſe, ubi Capite ſuo altiorem ſe efferre cœpit in Romanum Pontificem Eugenium perduellis, & contumax: illud ſufficiebat, ut ſcriba minimè malus *ſacroſanctam* Synodum ſimpliciter appellaret; quando & Epheſinam Synodum II. Leo Papa, quia ſe approbante Epheſum convenerant Epiſcopi, nuncupare non dubitavit *Sanctam Synodum*, epiſtolam ſic inſcribens; *Leo Epiſcopus* SANCTÆ *Synodo, quæ apud Epheſum convênit*. Perrexit eâdem de causâ appellare SANCTAM *Synodum* in epiſtolâ ad Theodoſium Auguſtum datâ; rurſumque in alterâ ad Pulcheriam Auguſtam, quibus ipſe expoſtulat graviter de Synodi *impietate*, *& ſceleſtiſſimo facinore quod cuncta Sacrilegia excedit*, queriturque hoc ibi actum, *ut remotâ eâ fide, quæ Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, & Martyres coronavit, generatio Ieſu Chriſti D. N. ſecundum carnem ſolveretur*: hanc ille Synodum appellavit *Sanctam*, quia ſanctè, & legitimâ Authoritate convocatam, coactamque: licuit eodem nomine *ſacroſanctam* ſcribere Baſileenſem Synodum. Servantur Leonis Papæ epiſtolæ illæ in Conciliorum tomis Colonienſibus pariter, & Pariſienſibus *h*: neque fuit qui argumentum inde ſumeret, quo negaret conventiculum Satanæ fuiſſe Epheſinam Synodum II. quatenus Leonis Papæ Authoritatem mox aſpernata eſt. Autumo ne futurum quidem ullum, præter unum Inſtructorem, qui ex inani inſcriptione, quâ neſcio manu inſertâ Baſileenſibus Actis, contendat, *ſacroſanctam* fuiſſe Baſileenſem Synodum, quo tempore Authoritatem inſectata eſt Eugenii Papæ. Sed næ ego chartam contrivi hoc loco in re nihili.

h Præfixæ Actis Concil Chalced:

VII. *Vin-*

VII.

Vindicatur Tridentinum Concilium & Eccleſia Catho*lica à notâ incuriæ ab Inſtructore inflictâ.*

SAcroſancti Concilii Tridentini Cenſorem ſe conſtituit Inſtructor, & ſibi oſtendit diſplicere Tridentinorum Patrum incuriam quâ factum ſit, ut non appareat, quo pacto poſſit S. Synodus compos fieri illius voti, quo affirmat [i] *hoc ſibi perpetuò* i Seſſ: 4. *ante oculos propoſitum fuiſſe, ut ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelii in Eccleſiâ conſervetur.*

Sed ipſe ediſſerat nobis cogitationem præclaram. Tridentina Synodus, inquit [k] *incipiendo à libro Geneſis ſpecificat omnes S. Scripturæ partes, uſque ad Apocalypſim.* Sic eſt: quid poſtea? k Inſtruct. Reg. 8. pag. 29. *Sed non ſatis deplorandum, quod eadem ſacra Synodus non eandem curam habuerit ſpecificandi alterum Theologiæ principium, id eſt Traditionem: quod etiam Sacrarum Traditionum in particulari Indicem conſcribendum non cenſuerit .... hoc eò magis deſiderari poteſt, quia à Traditione peti debet ſenſus, & ſpiritus ſacræ Scripturæ: ac proinde* MULTO UTILIUS, MAGISQUE NECESSARIUM EST, *ſacras Traditiones* IN ALIQUO VOLUMINE COLLECTAS, *ac ſpecificatas habere, quàm S. Scripturæ libros. Nec apparet, quo pacto ſatisfieri poßit ſancto ejuſdem Synodi deſiderio, quo cupit, ut puritas Evangelii extirpatis erroribus in Eccleſiâ conſervetur, niſi hac Traditionum ſpecificatione: ſine hac videtur* IMPOSSIBILE *inter Theologos concordiam aliquam ſtabiliri poſſe .....* HOC UNICUM EST MEDIUM *puritatem fidei in Eccleſiâ conſervandi, & errores extirpandi, quod in Tridentinâ Synodo Eccleſia ait ſe cupere .....* SI QUANTUM CANONIZATIONI SANCTORUM, ALIISQUE MINUS NECESSARIIS, VEL TANTILLUM CURÆ *impenderet Traditioni examinandæ, brevi pax primæ Eccleſiæ & aurea ſanctorum ſecula redirent.*

Animadverte Lector, quàm exquiſitis ille argumentis extollat oſcitantiam Tridentini Concilii, & Eccleſiæ: accerſit, colligitque minutè, quidquid valere ad exaggerationem poteſt. Sed ego ex illo inquiro, anne cenſeat vidiſſe Tridentinum Concilium tam *utile* fore, tamque eſſe *neceſſarium* in unum *colligi volumen* Traditiones omnes? Dicet profectò vidiſſe: quid enim? plus aliquid ipſe viderit, quàm Illi collatis conſiliis ad

condendum decretum *l* de Scripturis pariter, & Traditionibus
l ſeſſ: 4. ſacris Antiſtites, & Theologi tam multi, tam perſpicaces, tam exercitati harum rerum uſu, ipsâque Eccleſiarum gubernatione? non ergo diffitebitur, vidiſſe illos, quod ſe autumat videre, niſi riſum debere malit hominibus urbanis. Rurſus inquiro, cenſeatne fieri potuiſſe, ut conſcriberetur iſtud *volumen*, Iſte *Index* Traditionum? affirmat enimvero potuiſſe id fieri,
m Inſtruct. Reg: 8. pag: 32. & quidem percommodè; *Si enim*, inquit *m* *quantum Canonizationi Sanctorum, aliisque minus neceſſariis*. VEL TANTILLUM CURÆ IMPENDERET Eccleſia *Traditioni examinandæ, brevi pax prima Eccleſiæ, & aurea ſanctorum ſecula redirent*: Sed Tridentinum Concilium, *non eandem curam habuit ſpecificandi Traditiones*: potuit omnino, non erat cur non poſſet: *tantillum curæ impendi* ſatis erat: ſed non impendit, *non habuit curam*:

Hîc ergò vide quot ille modis in Tridentinum Concilium, ipſamque Eccleſiam peccet graviter: Primùm quidem S. Synodus, ut profitetur ipſa, & quidem in decreto ipſo de Scripturis, & Traditionibus ſacris *hoc ſibi perpetuò ante oculos propoſuit, ut ſublatis erroribus puritas ipſa Evangelii in Eccleſiâ conſervetur*. Dicemusne ſeriò, &, quod in ſe erat, efficaciter ſibi id propoſuiſſe S. Synodum? Ego quidem non dubito: illum verò oportet infitiari: etenim, cum ad eum finem, quem ſibi propoſuerat videret *eſſe neceſſarium, ſacras Traditiones in aliquo volumine collectas, & ſpecificatas habere*, detrectavit *tantillum curæ impendere*.

Erat Iudicio Inſtructoris *multò utilius, magisque neceſſarium ſacras Traditiones in aliquo volumine collectas habere, quàm ſacros Scripturæ libros*: Eccleſia magno impendio curavit, ut ſacri libri nobis eſſent certi, collectique in volumen: poterat idem facilè de ſacris Traditionibus: ſed neglexit *tantillum curæ impendere*.

n Ibid: pag: 25. *o* Ibid: pag: 60. *p* Inſtruct: exord: pag: 6. *q* Inſtruct: Reg: 8. pag. 31. 32. Iudice Inſtructore *n* miſerandum in modum *Theologi tamquam parvuli fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinæ*: & niſi in volumen aliquod referantur Traditiones *Impoſſibile videtur inter Theologos concordiam aliquam ſtabiliri poſſe* *o* nihil negotii erat conficere volumen illud: ſed Concilium & Eccleſia *non habuit curam: noluit tantillum curæ impendere*.

Iudice eodem *p* Scholaſtici Theologi, *peſſimi Magiſtri & fabulatores etiam in errorem ducunt, ſi fieri poſſit, electos*: Judice illo *q*

ſpes

ſpes nulla privato conatu Traditiones collocandi in amplâ quâdam luce, *ſi Pſeudo-Theologi obſiſtant, & quæ alii fidem, ipſi eſſe hæreſim clament: ſimilia diſsidia pacificari non poſſunt niſi interveniente Eccleſiæ infallibili authoritate, ipſam Traditionis veritatem examinando, & definiendo.* Erat id perfacilè, ſed Eccleſia neglexit *tantillum curæ impendere.*

Si Inſtructori credimus [r] effecere Pſeudo-Theologi, ut Chriſti *fides in paucis admodum ſubſiſtat:* ejuſdem ſententiâ [s] *unicum eſt medium errores extirpandi,* ſacrarum Traditionum Index: at prô dolor! *Indicem conſcribendum non cenſuit* Concilium [t], omiſit *tantillum curæ impendere.*

Ejuſdem rurſus judicio [u] occupatur Eccleſia *Canonizatione Sanctorum, aliiſque minus neceſſariis: ſi vel tantillum curæ impenderet Traditioni examinandæ, brevi pax prima Eccleſiæ, & aurea Sanctorum ſecula redirent.* Rem deplorandam! *non eandem curam habuit:* neglexit *tantillum curæ impendere.*

Quid ego cæteras conſecter moduli omnes ejuſdem formulas? Inquiramus tandem quid iſtud ſit Voluminis, Indiciſque, quod dolet non fuiſſe curæ Tridentino Concilio, & Eccleſiæ: *Deplorandum*, inquit [x] *quod S. Synodus non eandem curam habuerit ſpecificandi Traditionem: quod etiam Sacrarum Traditionum in particulari Indicem conſcribendum non cenſuerit;* uti nimirum *incipiendo à libro Geneſis ſpecificavit omnes ſacræ Scripturæ partes, uſque ad Apocalypſim.* Cur vero hæc deplorat? quia, inquit, *à Traditione peti debet ſenſus, & ſpiritus ſacræ Scripturæ:* quare ſine iſto volumine, & Indice Traditionum ſpes nulla concordiæ inter Theologos. Intelligo, debebat S. Synodus conſcribere quemdam *Indicem* Traditionum, atque exhibere in quodam volumine *collectas Traditiones* omnes, quo exhaurire liceret, quidquid eſt controverſum, perplexumque in Scripturâ ſacrâ: hoc enim, ni fiat; *pugnare* pergent, *pugnabuntque uſque ad ultimum diem* [z] illi Scholaſtici, illi *Magiſtri peſſimi & fabulatores*, [a] illi *Pſeudo-Theologi*, [b] illi *Theologaſtri*, quorum *infinitus* eſt *numerus.*

Cenſemuſne verò potuiſſe prudenter ſperari à Tridentinis Patribus *Indicem Traditionum* quempiam, cujus ope liquida eſſet ſolutio controverſiarum omnium de Scripturâ ſacrâ? Qui id cenſeat, controverſias ignorat. Si non potuit id ſperari, quid deploramus *fluctuantes, pugnantesque* Theologos defectu Indicis iſtius? [c] non decet nos id vitio vertere Tridentino Concilio, quod

non

[r] Inſtruct. exord pag: 6.
[s] Inſtruct. Reg. 8. pag. 32.
[t] Ibid. pag. 29.
[u] Ibid. pag. 32.
[x] Ibid. pag. 29.
[z] Inſtruct. Reg. 4. pag 13.
[a] Inſtruct. exord. pag. 6.
[b] Inſtruct. Reg: 8: pag 31.
[c] Inſtruct. Reg: 6. pag 19.

non putavit ſe indignum Petrus ipſe Apoſtolus, cui Traditionibus à Chriſto proximè acceptis luculentè erat inſtructum pectus: ſciebat [d] in Paulinis epiſtolis *ſſe quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravarent, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem:* Cur non conſcripſit volumen quodpiam Indicemque Traditionum Poſteris quoque utilem futurum, quo denique fieret, ut nullæ eſſent de Scripturarum ſenſu lites? vana interrogatio: extinguendarum litium ſpes nulla: Traditiones ipſæ in volumen collectæ, alias, & alias ſuſcitabunt diſputandi cupidis, non ſecus atque Canones ipſi, & decreta Conciliorum, præcipuè ſi placere cœperit Inſtructio quâ parte affirmat *non poſſe eſſe de Fide Eccleſiæ definitiones de quæſtionibus facti* [e]. Quantùm cavillationis exiſtet, ubi contendetur potuiſſe Eccleſiam errare de ſenſu verborum ipſorum, quibus conceptus erit *Index* ille, ſeu *volumen* Traditionum?

[d] 2 Pet: 3.
[e] Inſtruct. Reg. 7. pag. 23.

Sed neque decet Theologorum inter ſe diſputationes ſic nos averſari, ut eas omnino tollendas putemus. Non legebatur ſolùm; ſed & diſputabatur olim in Eccleſiis ipſis, teſte Auguſtino [f]: neque auribus licet nobis eſſe tam mollibus, ut, ſi quæ vox elatior, ardentiorque audita eſt, ſic nos illa commoveat, ut *prælia* cenſeamus, *pugnaſque mutuam authoritatem lædentes* [g]. Si quid etiam inconcinni diſputatio quæpiam tulerit, decet nos nævum iſtum in tantâ utilitate paleſtræ, quâ ad veriora certamina cum fidei hoſtibus procuduntur linguæ animique, haud gravatè cōdonare potius, quàm & ſævire immoderatione tantâ in Scholaſticos Theologos, & cauſam malorum repetere ex ipſâ Tridentini Concilii, & Eccleſiæ negligentiâ haud curantis conſcribi volumen, cui extra humanæ mentis idolum, & cogitationem vaniſſimam locus eſſe queat nuſpiam.

[f] Epiſt. 119.
[g] Inſtruct. exord. pag. 6.

Etenim & hoc mihi ediſſeri velim de volumine iſto, & Indice Traditionum, quantæ molis futurum ille putet, ut ſufficiat Scripturarum controverſiis extinguendis? paucioreſne autumat fuiſſe Chriſti ad Apoſtolos ſermones, quàm res geſtas? Has quidem gravis teſtis Joannes [h] ſi poſteris mandare animus fuiſſet, arbitratus eſt, *mundum capere non poſſe eos, qui ſcribendi eſſent, libros*; & deplorandum cenſeat quiſpiam *non eamdem curam habuiſſ* Tridentinam Synodum de referendis in volumen Traditionibus, quàm de Scripturis ſacris habuit, *incipiendo à libro Geneſis, uſque ad Apocalypſim.*

[h] Cap. 22.

At

At, inquit, *i* pium eſt optare, optantque pii Eccleſiæ filii, ut *pleraque, & præcipua dogmata Traditionis in ordinem, & compendium redigantur, infallibilique authoritate Eccleſiæ ſub anathemate tenenda proponantur.* Ego verò aio redigendis in ordinem Traditionis dogmatibus, quatenus id neceſſe, vel utile fuit ad oppugnandas hæreſes in Eccleſiâ exortas, haud paulò plus operæ impendiſſe Eccleſiam perſæpe, quàm *Canonizationi Sanctorum & aliis minus neceſſariis*, quæ vocat ipſe. Quanto Eccleſiæ molimine, quanto ſtetit ſudore, ut vel quinque *Traditionis dogmata in ordinem redigeret* ætate noſtrâ! redegit, & *ſub anathemate tenenda propoſuit*: His paria, & majora præſtitit aliàs non rarò, ubi id res poſtulabat, coactis etiam generalibus Conciliis, quod pro Sanctorum Canonizatione haud ſolet fieri. Neque eſt ignotum, ubi *in ordinem redacta* extent illa: conſulant illa, ſanctèque venerentur *Pii Eccleſiæ filii*, neque ſint *iniquitatis filii*, qui tantos Eccleſiæ conatus injectâ *quæſtione facti* eludant.

Pium erit optare, ut alia quædam Traditionis dogmata in ordinem redigantur, ubi id poſtulaverit par neceſſitas, aut utilitas: ſperandumque eſt Matrem Eccleſiam non defuturam piis filiorum votis: ſed non eſt pium arguere Eccleſiam, quod rebus *minus neceſſariis, minuſque utilibus* occupata, ea non curaverit, quæ ſunt *utiliora, magiſque neceſſaria* *k*: non eſt pia hæc oratio *l*: *Si quantum Canonizationi Sanctorum, aliiſque minus neceſſariis vel tantillum curæ impenderet Traditioni examinandæ, brevi pax prima Eccleſiæ, & aurea Sanctorum ſecula redirent.* Non eſt pia, ac ne ſapiens quidem hæc altera *m nec apparet quo pacto ſatisfieri poſſit ſancto ejuſdem Synodi deſiderio . . . niſi hac Traditionum ſpecificatione*; quâ nimirum ſicut *incipiendo à libro Geneſis ſpecificavit omnes ſacræ Scripturæ partes uſque ad Apocalypſim n*, ſic & Traditiones *ſpecificentur*: etenim *ſine hac* ſpecificatione *videtur impoſſibile inter Theologos concordiam aliquam ſtabiliri poſſe o . . . . . Hoc unicum eſt mediū puritatem fidei in Eccleſiâ conſervandi, & errores extirpandi p*. Non eſt pium denique, poſtquam Eccleſia labore, & conatu ſummo per Roman. Pontificem Chriſti Vicarium Doctorem, Traditiones quaſdam *ſpecificavit*, pro *dubio* habere illum *infallibilitatis modum*, quo Pontifex ſeorſum definit *q*. Imò præſcribere *r cautionem, & circumſpectionem* diligentem, *nihil ut traditum admittamus ſine examine, & demonſtratione juxta modos ſupra dictos; præterito nimirum, intactoque, ut dubio*, eo modo, quo ſeorſum definit Pontifex *s*: hæc illa ſunt,

i Defenſ. pag. 35.
k Inſtruct. Reg. 8.
l Ibid. pag. 32.
m Ibid. pag. 30.
n Ibid. pag. 29
o Ibid. pag. 30
p Ibid. pag. 32.
q Ibid. pag. 27
r Ibid. pag. 33.
s Ibid. pag. 27. 28.

ſunt, quæ niſi recantata det, numquam ſe purgabit *piùs Eccleſiæ filius.*

VIII.

Propugnaculum fidei, & Eccleſiæ Catholicæ Theologia Scholaſtica vindicatur.

QUoddam fidei, & Eccleſiæ Catholicæ propugnaculum eſſe Scholaſticam Theologiam docet hæreticorum furor, quo illam ſunt inſectati: ſimul in Eccleſiam hoſtes irruerunt Wicleffus, Lutherus, Calvinus, ſimul ſcholaſticam Theologiam, Doctoreſque ſcholaſticos odio oderunt pluſquam Vatiniano: quid mirum? ſtringi ſeſe, & frangi ab Athletis fidei inſtrumento iſto paratiſſimis ſentiebant. Videamus quàm honorificè de ſcholaſticâ Theologiâ & Theologis ſentiat Inſtructor: latè diffuſum habet locum *Inſtructio*: anguſta eſt alibi & preſſa, hîc fluctuat.

t Inſtruct. pag. 5. 6. Ipſo *Inſtructionis* exordio [t] Tyronem jubet ſpectatorem adſtare, non etiam aſſenſorem *innumeris ſcholaſticorum præliis, pugniſque verborum, quibus mutuam authoritatem lædunt, mutuaſque doctrinas non erroris ſolùm, verùm & hæreſeos inſimulant, & proſcribunt.* Hinc gradum facit ad deplorandam calamitatem ætatis noſtræ, quâ *Magiſtris optimis peſſimi, doctiſſimis fabulatores paulatim ſucceſſerunt, qui miris docendi artificiis etiam in errorem ducunt, ſi fieri poſſit, electos. Vnde impletum putamus*, inquit, *quod in Evangelio prædictum eſt. Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terrâ?* Denique Scholaſticis imputat non obſcurè, quod Chriſti *fides in paucis admodum ſubſiſtat.* Hæc in ipſo exordio in Scholaſticos tam præclare meritos de Eccleſiâ tam infinitè jactata, quàm non abhorreant ab Hæreticorum more, ſtatuat lector.

u Inſtruct. Reg. 2. pag. 10. Poſt pauca accingit ſeſe ad expurgandam Theologiam [u] *generaliter*, inquit, *omnes illæ quæſtiones ex Theologiâ ablegandæ, quibus aliquid Philoſophicum inquiritur v. g. quodnam ſit objectum formale & materiale virtutum Theologicarum? An gratia Phyſicè prædeterminet? An Sacramenta phyſicè cauſent gratiam? & multa ſimilia, quæ ſicut ſanctis Patribus fuerunt incognita, ita nec nobis ſunt neceſſaria, imò ſalubrius neſciuntur, quàm ſciuntur: Scientia enim inflando acres cauſat diſputationes.* Judicium de Philoſophicis quæſtionibus mando criticis melioribus, terruerunt virum *objecta formalia & materialia:* voces,

voces illas non invênit in ſcriptis SS. Patrum; rem ergo ipſam è Theologiâ eliminari vult, rei utilitatem non habens exploratam. Sed animadvertat Lector id genus quæſtiones tractaſſe ſcholarum Principes, & Scholaſticos optimos quoſque, ut vel hinc intelligat, Inſtructorem cum ſcholaſticam Theologiam, Doctoreſque Scholaſticos inſectatur, uti reſtrictionis nihil adhibet, ſic methodum ipſam reprobare, nullâ diſtinctione, nulliſque parcere Theologis ſcholaſticis: quod ipſum faciunt manifeſtius ea, quæ ſubdo.

Regulam quartam hanc ſtatuit *x*: *præ cæteris illa voces, & expreſſiones aſſumendæ, quæ in Scripturâ, & Traditione ſunt in uſu.* Placet regula; niſi aliæ voces ad diſſolvendam controverſiam adverſus Hæreſes, aliâve utilitate inſtitutam ſint magis opportunæ. Contingit hoc non rarò: atque hoc ubi contigerit, laudi eſſe poteſt aliunde quàm ex Scripturâ, aut Traditione ſacrâ tranſlatam vocem accerſere, atque etiam fabricare; fiat modò iſtud circumſpectè, & judicio maturo: ut proinde non immeritò Auguſtinus *z*, & vulgò exiſtimatus Anſelmus, obſervent Timotheo Apoſtolum præſcripſiſſe *a* *devitandas vocum novitates* non qualeſcumque, ſed *prophanas*, ſed præpropere, atque ad libidinem præfidentis animi arreptas, non tam veritatis amore, quàm opinionis anticipatæ, aut faſtidio ſimplicitatis ſacræ; quod omnino eſt Philoſophiæ haud Chriſtianæ, Patribuſque improbatum.

x pag. 12.

z Tractatu 97. in Ioan.

a 1. Tim. 6.

Ipſi quoque Apoſtoli, Inſtructor ait, *b* *& ſancti Patres pluſquam per decem ſecula illis* (vocibus) *uſi ſunt, quæ in Scripturâ, & in Traditione ſunt in uſu*; donec ſcilicet Scholaſtici modos loquendi verſare cœperunt, voceſque induxerunt, quæ *in Scripturâ, & in Traditione non ſunt in uſu.* Huc illum ſpectare oſtendunt ea, quæ ſubdit *c* *olim Eccleſiæ Magiſtri verbo ſano, & irreprehenſibili deſumpto ex Scripturâ, & Traditione os occludebant Eccleſiæ adverſariis; verùm, qui modò ſe Magiſtros dicunt, & ob ſupremos in Theologiâ Scholaſticâ gradus ſe omni exceptione majores autumant &c*: dolet Scholaſticos, non perinde, ut olim, *verbo ſano & irreprehenſibili deſumpto ex Scripturâ, & Traditione* contentos eſſe.

b Inſtruct. Reg. 4. pag. 12.

c Ibid. pag. 13.

Hoc ergo Inſtructori in Scholaſticis diſplicuit, quod Luthero, Calvino, Kemnitio in Lateranenſi Concilio, nomen *Tranſubſtantiationis* in aſſerendâ fide Veræ Euchariſtiæ uſurpante: nomine haud erant uſi Patres antiquiores, rem agnoverant: nomen

verò idoneum ad explicandam rem terere cœperant Scholaſtici, effeceruntque, ut in ſacroſanctos fidei canones referretur; primùm quidem in Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III *d*; tum verò & in Tridentino etiam hoc declarante *e* converſionem illam *convenienter, propriè, aptiſſimè* à Sanctâ Catholicâ Eccleſiâ *Tranſubſtantiationem* eſſe appellatam. Non appellavit Eccleſia, niſi præeuntibus Scholaſticis.

d Latera: Conc. c. 1.
e Seſſ 13. c. 4. & can. 2.

Non eſt mihi animus ea colligere, quæ Scholaſticorum tempore celebrata Concilia convexere in decreta ſua ex illorum libris deſumpta vocabula, quæ neque Scripturis ſacris, neque Patrum Traditioni antiquæ fuerunt uſurpata; diſplicuit hoc nomine Tridentinum Concilium Suavi Polano Scholaſticorum hoſti, ſimulque de Eccleſiâ nobis coævâ ſentienti perversè; ſed inprimis cavillatus eſt *f* in nominibus *materiæ*, & *formæ* Sacramentorum, quæ à ſcholis mutuata Florentinum ac Tridentinum Concilium decretis ſuis digna cenſuerunt. Vide Lector quo tendat hoc genus licentiæ: exponat Palavicinus Cardinalis: *Suavis*, inquit, *g Polanus tractans* MATERIAM, *&* FORMAM *eſſentialem Sacramentorum, & nominatim baptiſmi, dicit, in Eccleſiâ antiquâ non fuiſſe iteratò baptizatos, qui inter quaſcumque Sectas ab Hæreticis eſſent baptizati, etſi non uterentur* MATERIA *&* FORMA, *quæ hodie exiſtimatur eſſentialis: quod probat ille: quia tunc nihil ſciebant de* MATERIA *&* FORMA. En facilem tranſitum à tædio nominum Scholaſticorum ad faſtidiendam rem ipſam.

f Hiſtor. Conc. Trident. l. 9. c. 6.
g ibid.

Cavendus ſedulò tranſitus iſte & Inſtructori, & Anonymo Scriptori cuidam, cujus ego nomen crediderim haud eſſe Inſtructori incognitum, qui nuper hæc ipſa dedit ab *Inſtructione ad Tyranem Theologum* haud multum abludentia *h* *Incipiente hoc ſeculo* duodecimo; *cœpit quoque in Eccleſiâ invaleſcere Philoſophia Peripatetica, ſeſeque Theologiæ inſinuare . . . . . . cœptum eſt tunc agi, & agitari de partibus eſſentialibus*, DE MATERIA *nempe &* FORMA *Sacramentorum, ac proinde etiam Sacramenti Pœnitentiæ: de efficaciâ, & ſignificatione Abſolutionis, ejuſque proprio, & nativo effectu, de qualitate, quantitate, & virtute Contritionis, ſive diſpoſitionis ad effectum abſolutionis requiſitæ: de neceſſitate, ac tempore adimplendæ ſatisfactionis &c. atque in has & ſimiles circa Sacramenti rationem ſubtilitates, & ſcholaſticas contentiones Pœnitentiæ rigor, & ſtudium non modicè ſenſim evanuit.* bene eſt quod Scholaſticâ Theologiâ imbuti Patres Tridentini in ipſâ œcumenicâ Synodo quæſtiones illas diſputarint

h Libel. Compend. deduct. in cognit. &c. ante med. pagina 47. Edit. gandens. 1672.

rint pleraſque, & verò eorum ſolutiones nominaque ipſa à ſcholaſticis Theologis uſurpari cœpta ſacroſanctis fidei decretis inſerenda judicaverint.

Neque tamen hanc laudem introducendi voces explicandis rebus ſacris pro tempore idoneas ità aſſeruero ſcholaſticis Theologis, ut negem fuiſſe antiquorum Patrum; quod exiſtimaſſe videtur Inſtructor. Tyronibus notæ ſunt de hacce re Hiſtoriæ ſacræ: diſplicuit Arianis uſurpata primùm à Nicæna Synodo in ipſo fidei Symbolo vox *Homouſios* Neſtorianos deinde malè habuit *Theotocos*; ſed & *unitio ſecundum hypoſtaſin* à Cyrillo Alexandrino fabricatum nomen explicandæ fidei Catholicæ per id temporis accommodatum. Jam tum Cyrillo canebat illa Theodoretus *i* quibus hodie ſimilia Scholaſticis Theologis Inſtructor: *unionem ſecundum hypoſtaſin, modis omnibus ignoramus, tamquam peregrinam & ALIENAM A DIVINIS SCRIPTURIS, ET PATRIBUS:* his conſentanea cavillabantur cæteri Neſtorio ſtudentes: nihil ea res effecit, quò minus ſacris fidei decretis miſceretur nomen *unionis ſecundum hypoſtaſin.*

i Cyrill. Tom. 6. lib. pro 12. Capitib. Anath. 12.

Egent ergo cautione variâ, quæ ſubjungit Inſtructor: *Planè*, inquit, *temerarium videtur, & periculoſum eſt, ab antiquis illis primitivæ Eccleſiæ vocibus, & expreſſionibus recedere, & in earum locum ſuperinducere paganos humanæ philoſophiæ terminos, modoſque Ariſtotelicos.* Si *recedere* interpretatur, quod eſt *vitare*, & *defugere*, aſſentior: Si, quod verius eſſe oſtendunt, quæ ſubdit, *recedere* eos cenſet, qui, ubi id neceſſe eſt, vel utile ad ſolvendam quæſtionem, ſacram, vocem adhibent aliunde petitam, quàm ex Scripturâ ſacrâ, Patrumve ſcriptis, non aſſentior; nequidem ſi ex prophanâ Philoſophiâ petita ſit vox, atque ab ipſo Ariſtotele: vaſa Ægyptiorum etiam commodato accepta fas eſt noſtra facere, atque in uſum vertere fidelium; ubi id commodum videtur: de quo argumento copioſè diſſerens Auguſtinus adiri poteſt *k*.

k Lib 2. de Doctr. Chriſt. c. 40.

Sed nihil diſtinguens Inſtructor vide, quid mali cenſeat à Philoſophiâ in Theologiam, ab hâc in Eccleſiam manaſſe. *Hoc*, ait *l*, *experientia evidens facit, quod ab illo tempore, quo Theologi Ariſtotelicismis uti cœperunt, & relicto antiquitatis tramite MODUM SCHOLASTICUM INDUXERUNT, quod*, inquam, *rariores converſi ſunt infideles, inter fideles craſſa increvit non ſatis deploranda ubique ignorantia, Clerus vaniloquus, & inani argumentandi methodo tumidus à veritate auditum populi avertit, ad fabulas aniles convertit; unde inſultant modò hæretici*

l Ibidem.

hæretici Catholicis, & audaciores redditi ex confuſione noſtrâ, & ab ipſis Scholaſticorum ſcriptis ſcandalizati, nequitia, ſeu pertinaciæ ſuæ incrementum capiunt. Sic ille excepto nemine involvit omnes, & methodum ipſam, ſeu MODUM SCHOLASTICUM reum facit malorum tantorum: tantumdem eſt illi *modum Scholaſticum induxiſſe*, atque *antiquitatis tramitem reliquiſſe*, quis enim aliter iſta accipiat? Quàm malè meritum de Eccleſiâ oportet eſſe Scholaſticorum Principem Thomam Aquinatem? hic nobis *Scholaſticum modum* ſi non induxit, inductum ſic ordinavit expolivitque, ut Doctori ſancto haud paulò plus debeat *modus*, quàm ei, qui induxit: hic Idem Ariſtotelиſmis uſus eſt largitèr in eâ præcipuè ſummâ, quam contra *Gentiles* ſcripſit: neque alibi, ſi Cardinali credimus Pallavicino *m* præclarius eſt meritus de Eccleſiâ, qui iſto pacto fregerit, comminueritque Arabicam ſectam, ſuſcitato Ariſtotele, Eccleſiæ minitantem in Hiſpaniâ duce Averroe, doctrinamque Peripatheticam Chriſtianæ ità devinxerit, ut nemo exinde Hæreſiarcha vaticano faſtigio rebellis extiterit, quin & in Lycæum arma verterit.

m Hiſt: Concil. Trid: l. 7. c. 14.

At, inquit *n* Ariſtotelиſmis adverſus Gentiles uſus eſt D. Thomas. Uſus eſt & alibi copioſè: utunturque hoc exemplo Theologi arma miniſtrantes omnis generis contra hæreticorum fraudes, & ſophiſmata.

n Defens pag. 53.

Sed *Ab illo tempore, quo Theologi .... modum Scholaſticum induxerunt rariores converſi ſunt infideles.* Eundum eſt Inſtructori ad eas hiſtorias, quæ nobis in vtrâque Indiâ, aliiſque toto diviſis orbe terris res geſtas prodiderunt: ibi diſcet, quàm innumera hominum millia, quot populos, quot Regna Chriſto adjunxerint ſcholaſticâ imbuti Theologiâ Præcones Evangelii omnium Ordinum.

De craſſâ Fidelium ignorantiâ, quam ſcholaſticis imputat, me audiet mox. Sed neque Clero parcit, *vaniloquo* nimirum, & *inani argumentandi methodo tumido.* Hìc rurſum oſtendit ipſam *argumentandi methodum* ſe faſtidire, quod ſolent Hæretici, quibus eſt horrori telum tam acutum, ſibique lethiferum. Videat conveniantne in ſe, quæ in Creſconium grammaticum Dialecticæ, & diſputationum oſorem Auguſtinus ſcripſit: *o Quid eſt enim aliud*, inquit, *Dialectica, quàm peritia diſputandi? quod ideò aperiendum putavi, quia etiam illam mihi objicere voluiſti, quaſi Chriſtianæ non congruat veritati .... Dialecticam criminatus es, quò falle-*

o lib: 1. c. 13.

reximperitos ..... ſed tu videlicèt non Dialecticâ uteris, cum contrà nos ſcribis: ut quid te ergò in tantum diſputandi periculum projeciſti, cum diſputare non noveris, aut, ſi noſti, cur dialecticus dialecticam criminaris, ita vel temerarius, vel ingratus, ut aut imperitiam, quâ vinceris, non refrænes, aut doctrinam, quâ juvaris accuſes? ..... Stoici certè maximè Dialectici fuerunt, cur Apoſtolus Paulus, ne conferrent cum illo, non eos cautiſſimè devitavit? ..... aut ſi Paulus dialecticus erat, & ideo conferre cum Stoicis non timebat ..... iam cave, ne cuiquam Dialecticam pro crimine objeceris, quâ uſos Apoſtolos confiteris.

Poſt hæc animadvertat, quàm moderari ea decuerit, quæ dat proximè *p Olim,* inquit, *Eccleſiæ Magiſtri verbo ſano, & irreprehenſibili deſumpto ex ſcripturâ, & Traditione os occludebant Eccleſiæ adverſariis: verùm qui modò ſe Magiſtros dicunt, & ob ſupremos in Theologiâ ſcholaſticâ gradus, ſe omni* EXCEPTIONE MAIORES *autumant,* SUIS DISTINCTIONIBUS, ET FORMALITATUM VOCIBUS ET VOCUM SUBTILITATIBUS VIX INTELLIGIBILES FACTI SUNT, *ita ut tam* IMPOSSIBILE *Sit, ut ipſi hæreticos à ſuis erroribus revocent, quàm ipſi ſe mutuo à propriis placitis revocare non poſſunt. Et ut manifeſtè pateat, quàm* INFIRMA METHODO UTANTUR SCHOLASTICI, *ad veritatem aliquam planè vindicandam, ſolùm ante oculos revocandæ illæ ſententiæ, & opiniones, pro quibus* IAM AB UNO, ALTEROVE SECULO, ET AMPLIUS *inter ſe pugnarunt, pugnant, & pugnabunt uſque ad ultimum diem, & nec ſe intelligunt, nec intelligent; niſi prius tollatur magnum dubium diſtinctionum, & æquivocarum vocum, quas in Theologiam invexit gentilis Philoſophia, & iterum redeatur ad ſanctas illas à ſpiritu ſancto inſpiratas voces, & expreſſiones Scripturæ, & Traditionis.* Non perſequar ſingula: Diatribam conſulat, cui id lubet. Aliud profectò de ſcholaſticis Doctoribus iudicium ſtetit Magno Concilio Lateranenſi, aliud Lugdunenſi; & Tridentino, ut ibi oſtenſum eſt. *q*

p Inſtructor Reg: 4. pag. 13.

q Diatr. ad Aſſert 67.

Hìc ego inquiro quâ methodo (tanta enim mala aſſignat *Methodo infirmæ* ſcholaſticorum) quâ, inquam, methodo cenſeat robur illud invictum ſuperiori ſeculo comparaſſe ſibi Doctores Theologos, quo ſeſe Calvino, atque Luthero intendêre adverſarios in Germaniâ Ingolſtadienſes, in Galliâ Pariſienſes, in Belgio Lovanienſes: Illi verò ætatis partem non modicam triverant in iis, quas vocat, *Diſtinctionibus, & ſubtilitatibus*; quarum latè patet uſus, ſeu Scriptura ſacra interpretanda eſt, ſeu Patres vindicandi, ſeu impiorum technæ diſſolvendæ, fraudeſque detegendæ.

En

Et profectò (verbis utar exercitatiſſimi quondam in Scholaſtico pulvere, atque harum rerum perſpicaciſſimi, ſed & divinitus afflati Pontificis Romani Sixti V. [r] *rem ita ſe habere ipſimet veritatis inimici ſunt iudices, quibus Theologia Scholaſtica maximè eſt formidoloſa, qui profectò intelligunt aptâ illâ, & inter ſe nexâ rerum, & cauſarum cohærentiâ, illo ordine, & diſpoſitione, tamquam militum in pugnando. Inſtructione,* ILLIS DILUCIDIS DEFINITIONIBUS, ET DISTINCTIONIBUS, ILLA ARGUMENTORUM FIRMITATE, ET ACUTISSIMIS DISPUTATIONIBUS *lucem à tenebris, verum à falſo distingui, eorumque mendacia multis præſtigiis, & fallaciis involuta, tamquam veſte detractâ patefieri, & denudari.*

[r] Conſtit. Triumphantis Hierus.

Expertus in ſe eſt faſſusque Franciſcus Horantius Calvino Scriptor formidabilis: Scholaſticos ait [s] multa diſputare, *quæ etſi videntur ad fidelium ſimplicitatem non pertinere, reverà multùm ad veram fidem conducunt:* exemplo jubet eſſe quæſtiones *de futuris contingentibus, de divinarum perſonarum proceſſionibus, emanationibus, notionibus, diſtinctionibus:* his & harum ſimilibus docet *Scripturam integram* nos *ſervare, Patres rectè tenere, & vehementer hæreticorum perplexitates, & nodos callere, & diſſolvere.* Concludit denique in hanc formam hîc idoneam apprimè: *Nequaquam igitur Doctores hi, ut illi oblatrant* (Scholaſticis hæretici) *Sacratiſſimæ Theologiæ candorem polluerunt ſuis ſordibus; ſed magis illuſtrarunt, dum in ſacris litteris intelligendis, in Patrum ſententiis, & Scripturis explicandis, ubi congruit, ubi opus eſt,* EIUSMODI SCHOLASTICIS DISTINCTIONIBUS UTUNTUR: *neque verum eſt, quod iſti obſtrepunt candorem ſcilicet caſtiſſimæ Theologiæ fuco Ethnicorum Philoſophorum eſſe pollutum, dum multas ſententias ex Platone, Ariſtotele, cæteriſque ſeculi ſapientibus in ſuos codices aſportarunt.* Oſtendit deinde placuiſſe hunc morem Scriptoribus optimis jam inde à primis Eccleſiæ ætatibus. Ego verò, fatebor, pluris apud me hoc loco eſſe Franciſci Horantii Iudicium, qui & in Scholaſticâ Theologiâ, & in confirmandâ fide, confutandiſque Hæreſibus præſtiterit plurimùm, quàm vel Wiccleffi, Lutheri, Calvini, Melancthonis, vel denique ſcholæ Arnaldinæ, Vergerianæ, Ianſenianæ univerſæ, Calvini gregariis Hæterodoxis tam eſtimatæ.

[s] Loc. Cathol lib. 5 Cap. 3.

Abſolvamus hunc locum collatis in unum multis. Nullam omittit occaſionem Inſtructor: Hæreticos dixerat [t] *obſcuris ſcripturæ ſacræ involucris velare ſua dogmata: illos,* inquit, *imitantur non*

[t] Inſtruct Reg 5 pag. 16.

non pauci Scholaſtici, qui, dum novarum opinionum adinventionibus clarere appetunt, ſibi authoritatem contortis Scripturæ locis conciliare ſatagunt, non veritatis, ſed opinionis ſuæ rationem ſectantes. Monuerat *u* *Spiritum mendacii tenebris ſuis pervertere Theologos illos, quorum corda lethalibus noxis mortua ſecurè inhabitat*: Denique *ad Scripturarum indaginem, verumque intellectum opus eſſe vitâ probâ.* Rectiſſimè. Subdit verò, *defectu huius diſpoſitionis* INFINITUS THEOLOGASTRORUM NUMERUS, *quibus, ut olim Pharizæis, ita nunc maximè exclamat veritas: væ vobis legis peritis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.* Lucæ XI. Lectionem Scripturæ ſacræ commendaverat *o*: mox verò, *ſatis deplorari non poteſt*, inquit, *quanta vbique defectu huius conditionis ſit Theologorum ignorantia*, FASTIDIUM, ET CONTEMPTUS VERBI DEI: *& ſimiles quidem admittuntur ad Evangelizandum.* Hæc atque id genus alia minus amplè erant prædicanda: ſpero profectò non *ubique*, non *infinitos* eſſe Theologos, in quos iſta conveniant. *Hæreticum* definierat *x* id eſſe, quod *repugnat Scripturæ vel Traditioni: ex quo patet*, inquit, *à Scholaſticis* SUSTINERI MULTAS PROPOSITIONES HÆRETICAS ... *etiamſi ab authoribus ob multas ratiunculas habeantur probabiles: quantumcumque enim magna ſit probabilitas illa, non tollit repugnantiam cum fide: quæ enim ſemel hæretica ſunt, ea ſemper ſunt hæretica.* Aliquanto accuratiùs hæreticum, ſeu propoſitionem hæreticam cum Sylvio dices *z*, *errorem fidei* MANIFESTE *contrarium*: cum Sylveſtro *a*, *falſitatem* NOTORIE *contra fidem*: conſentanea dant Scholaſticæ periti Melchior Canus *b*, Alphonſus de Caſtro *c*, Suarez *d*, Bannes *e*, Petrus ledeſma *f*, cæterique vulgò.

u Ibid: pag. 19.
o Ibid. pag. 20.
x Ibid. pag. 24.
z 2.2.q 11 A. 1.
a V. hæreſis. q. 1.
b lib. 12. de locis. c. 7
c lib. 1. de iuſta hæreticorum punit c. 4.
d de virtut. Diſp. 19. ſect. 2.
e 2.2.q. 11. A. 2.
f de fide. c. 6.

His verò tandem coronidem imponat. *Quantum*, ait *g*, *ad modum agendi Scholaſticorum, ſic procedunt, ac ſi nihil certum eſſet:* NON ENIM VERENTUR *quæſtiones, & diſputationes inſtituere: An Deus ſit Trinus & Unus: An ſit bonus, omnipotens &c: item An Deus ſit incarnatus: An Chriſtus ſeptem Sacramenta inſtituerit: An Spiritus Sanctus à Patre, filioque procedat*, ET SIMILIA: *quæ præterquam quod ſint inutilia, ad nihil videntur ſervire, quàm ad fidem certiſſimam reddendam dubiam & incertam.* Adnotemus pauca ad hanc laciniam.

g Inſtruc Reg 8. pag. 28.

Si quis opinetur benignior, non diſplicere Inſtructori Scholaſticam Theologiam, Doctoreſque Scholaſticos universè, ſed vitia quorumdam, is aberrat liquidò: jam ſupra id patuit. Sed

& hoc loco manifeſtior fit res, certum eſt, Scholaſticos optimos quoſque, atque etiam ſanctos Eccleſiæ Doctores Thomam Aquinatem, & Bonaventuram quæſtiones illas inſtituiſſe, quas ille hic eliminatas vult, *inutiles* vocans, atque ad *nihil utiles ſervire, quàm ad fidem certiſſimam reddendam dubiam*: arguit ergo univerſos, & quidem immaniter: *quantùm*, ait, *ad modum agendi Scholaſticorum ſic procedunt, ac ſi nihil certum eſſet: non enim verentur quæſtiones & diſputationes inſtituere, an &c.* Criminatio eadem placuit Suavi Polano Conciliorum, Pontificum & Scholaſticorum hoſti: Hiſtoriam vide Tridentini Concilii *b*.

b Lib. 7. c. 14.

Animadvertat Lector, quâ ille viâ Scholaſticam reformare Theologiam aggrediatur. Primùm quidẽ diſputationes, concertationes, diſtinctiones, *vanam*, ut appellat, *argumẽtandi methodũ* oſtendit ſe odiſſe: tum verò exportari mandat eas quæſtiones, quas ipſe philoſophicas judicaverit, etſi ut Theologicas diſputaverint ſcholarum principes. Tandem etiam (quod eſt omnino ſtupore dignum) eas damnat quæſtiones, quas ad ſtabilienda fidei noſtræ dogmata, nervumque incidendum hæreſibus omnis generis nemo Theologus non tractavit, *An Deus ſit Trinus & Unus: An Deus ſit Incarnatus: An Chriſtus ſeptem Sacramenta inſtitueri: An Spiritus Sanctus à Patre filioque procedat, & ſimilia.*

Non permittat Deus Quæſtiones hujus generis eliminari omnes è Theologia; mox enim apud Inferos Arius, Neſtorius, Eutyches, Lutherus, Calvinus, ubi animadverterint, rudes nos eſſe ſuarum technarum, erigent ſeſe, eaſque in Eccleſiam faces immittent, quas illis Lachrymis Inſtructor, quibus Eccleſiam ſæpe deplorat, non reſtinxerit.

IX.

Effugia Inſtructoris.

HÆc hactenus contra Inſtructionem de ſcholaſticâ Theologiâ, & ſcholaſticis ſic procedunt, niſi fallor, ut nuſquam adhæreſcant. Habet quædam Inſtructionis *Defenſio*, quæ ego optarem Inſtructioni ipſi pro ſcholiis eſſe addita: certus ſum enim ſolâ Inſtructione lectâ nemini illa ventura in mentem, niſi cui ſit decretum per fas, nefaſque Inſtructionem tueri.

Negat

Negat ille [i], diſplicuiſſe ſibi Scholaſticos, quod quæſtiones illas inſtituerint: *An Deus ſit unus & Trinus: An Incarnatus*, & hujuſmodi: ait illos ſolos reprehenſos, qui *eas tamquam dubias, & quodammodo problematicas in diſputationem adducunt* vanis objectionibus *ex ſolâ ratione deſumptis* Myſteria intricantes. In quos Scholaſticos cadat illa reprehenſio, ipſe viderit. [i] Defenſ. Pag. 51.

Sed Inſtructionem audiamus [k]: *Quantùm ad modum agendi Scholaſticorum, ſic procedunt, ac ſi nihil certum eſſet.* Si reprehenſos nolebat omnes, cur non dixit, *quantùm ad modum agendi* QUORUMDAM *Scholaſticorum?* cur non; *quidam ſic procedunt?* Pergamus. [k] Inſtruct. Reg. 8. pag. 28.

Quantùm ad modum agendi Scholaſticorum, ſic procedunt, ac ſi nihil certum eſſet. Quid ita? *Non enim verentur*, inquit, *quæſtiones & diſputationes inſtituere; An Deus ſit* Unus *& Trinus: An ſit Incarnatus &c.* En, Lector, peccatum Scholaſticorum (quo *ſic procedunt, quantùm ad modum agendi, ac ſi nihil certum eſſet*) in hoc ſitum prorſus, quod *non vereantur quæſtiones inſtituere, An Deus ſit Unus & Trinus &c*: Nonne vides, damnari Scholaſticos hoc nomine, quod quæſtiones illas inſtituant? Atqui inſtituunt Scholaſtici omnes, etiam Principes. Pergamus.

Non enim verentur quæſtiones inſtituere; An Deus ſit Unus*, & Trinus; An ſit Incarnatus, & ſimilia.* Dic verò: qualia ſunt illa, & illis ſimilia? *ſimilia*, inquit, *præterquam quòd ſint inutilia, ad nihil videntur ſervire, quàm ad fidem certiſſimam reddendam dubiam.* Intelligo: *inſtituere quæſtionem; An Deus ſit Unus & Trinus; An ſit Incarnatus &c.* illa verò ſunt, quæ *ad nihil videntur ſervire, quàm ad fidem certiſſimam reddendam dubiam.* Atqui illas quæſtiones inſtituunt Scholaſtici omnes, etiam Principes.

Quam ergo veri ſpeciem habeat, quod affirmat ille in *Defenſione*, intentam fuiſſe Inſtructionem in eos ſolos Scholaſticos, qui objectionibus vanis Myſteria intricant, Lector videt.

Aliud eſt, quo ſe purgare nititur [l] & quidem capitale. *Ea*, inquit, *quæ adſcribit Theologis iſtis, quos vocant* THEOLOGASTROS, *ſive* PSEUDO-THEOLOGOS, *contra mentem & ſcriptum meum tribuuntur Scholaſticis Theologis universè.* Audi rationem: *Siquidem ad Regulam tertiam Pſeudo-Theologos deſcripſi eſſe eos, qui Recentiores cum Antiquioribus æqua lance ponderant, eorumque placita Patrum ſententiis opponunt* &c. [l] Defenſ. Pag. 36.

Sic eſt: ad Regulam tertiam [m] deſcripſit modo iſto *Pſeudo* [m] Inſtruct. Reg. 3. pag. 11.

a Inſtruct. Reg. 6. pag. 18. 19.

Theologos. Etiam ad Regulam Sextam a deſcripſit THEOLOGASTROS, *qui cum ſint prava vita, & vitiis aſſuefacti abſque pravitâ mortificatione, & ſyncerâ vita emendatione præſumunt bis ſacris ſtudiis intendere, quorum corda lethalibus noxiis mortua ſecurè inhabitat ſpiritus mendacii.* Attamen haud fatebitur, ut puto, ſe, deſcripſiſſe iſtis modis Theologos Scholaſticos. Hæccine enim ſit tolerabilis deſcriptio, ut ii ſint Theologi Scholaſtici, *quorum corda lethalibus noxiis mortua inhabitat ſpiritus mendacii &c?* Superi meliora.

o Inſtruct. Reg. 4. pag. 12.

Atqui de Theologis Scholaſticis ad Regulam Quartam ſic loquitur o: *Hoc experientia evidens facit, quod ab illo tempore, quo Theologi Ariſtotelismis uti cœperunt, & relicto antiquitatis tramite modum Scholaſticum induxerunt, quod, inquam, rariores converſi ſunt infideles, inter fideles craſſa increvit non ſatis deploranda ubique ignorantia:* alia permulta.

Eſtne ſatis, quæſo te, Lector, ad Regulam tertiam *Pſeudo-Theologos* dixiſſe, *qui Recentiores cum Antiquioribus aqua lance ponderant:* atque ad Regulam Sextam *Theologaſtros* dixiſſe, *quorum corda lethalibus noxiis mortua ſecurè inhabitat ſpiritus mendacii;* hoccine, inquam, eſt ſatis, ut quæ ad Regulam quartam de *Scholaſticis* Theologis pronunciat tam infinitè, ea reſtrictè intelligere nos oporteat de *Pſeudo-Theologis*, ſeu de Theologis ſolùm quibuſdam, *qui Recentiores cum Antiquioribus aqua lance ponderant;* aut de *Theologaſtris*, ſeu de Theologis ſolùm quibuſdam, *quorum corda lethalibus noxiis mortua ſecurè inhabitat ſpiritus mendacii?*

Imò verò utcumque id ipſe negabit, ea, quæ ad Regulam quartam promit, oſtendunt minimè obſcurè, Scholaſticos Theologos ad Regulam tertiam eſſe deſcriptos, ubi *Pſeudo-Theologos* deſcripſit. Verba ipſa ad trutinam.

Ab illo tempore, quo Theologi Ariſtotelismis uti cœperunt, & relicto Antiquitatis tramite modum ſcholaſticum induxerunt, rariores converſi ſunt infideles &c. Ariſtotelismis uti cœpit Petrus Lombardus, ut fatetur Inſtructor, p addens non fuiſſe extra invidiam ob hoc ipſum: largius uſus eſt D. Thomas, ut itidem fatetur ille q addens de hoc ipſo fuiſſe reprehenſum. Sed hæc mittamus.

p Defenſ. pag. 50.
q Defenſ. pag. 53.

Quis non intelligit in iis, quæ retuli, verbis, Inſtructori idem fuiſſe, vel connexa hæc duo: *Reliquiſſe Antiquitatis tramitem*, &, *Modum Scholaſticum induxiſſe?* Quis illa non ſic accipiat tamquam ſi dictum ſit, *Ab illo tempore, quo Theologi Antiquitatis tramiti ſubſtituerunt Modum Scholaſticum?* Si tibi ego ſic narrem; *Belga relicto*

cultu

cultu Hiſpanico, induxerunt veſtitum Gallicum, non tibi ego videar prædicare connexa hæc, *reliquiſſe cultum Hiſpanicum*, &, *induxiſſe veſtitum Gallicum*? Oportuit ergo & Inſtructori, ſi non dormitavit, connexa fuiſſe hæc; *Reliquiſſe Antiquitatis tramitem*, & *induxiſſe modum Scholaſticum*. Unde liquidò hoc fluit Inſtructoris judicio, *Antiquitatis tramitem* eos *reliquiſſe*, qui *induxerunt modum ſcholaſticum*; atqui *Pſeudo-Theologi* ſunt, qui relinquunt Antiquitatis tramitem r: *Pſeudo-Theologi* igitur, qui *induxerunt modum Scholaſticum*: neque melior eorum omnium conditio, qui hos ſecuti modum ſcholaſticum tenuerunt: verbo abſolvamus; *Pſeudo-Theologi* Inſtructori ſunt, nullâ additione, aut reſtrictione Theologi ſcholaſtici, & eorum omnium malorum rei, quæ tam multa enumerat ad Regulam quartam, atque ad Regulam octavam. r Inſtruct. Reg. 3. pag. 11.

Abundat Inſtructio iis locis, unde hæc liceat confirmare. Pauca videamus. *Hæreticos* dixerat s *ab ipſis Scholaſticorum ſcriptis ſcandalizatos nequitiæ, ſeu pertinaciæ ſuæ incrementum capere*: poſt pauca, hæc ſubdit: *Et ut manifeſtè pateat*, QUAM INFIRMA METHODO UTANTUR SCHOLASTICI *ad Veritatem aliquam planè vindicandam, ſolùm ante oculos revocandæ illæ ſententiæ, & opiniones, pro quibus jam* AB UNO ALTEROVE SECULO, ET AMPLIUS *pugnant, & pugnabunt uſque ad ultimum diem &c.* s Inſtruct. Reg. 4. pag. 13.

Dubiumne eſt, quæſo, in quos Scholaſticos hæc ſpectent? Quinam illi ſunt, qui *jam ab uno alterove ſeculo, & ampliùs* contrariis *opinionibus pugnarunt*? Cur ego diſſimulem? In vos illa ſpectant *Angelici* hinc Doctoris, iſtinc *ſubtilis* Magiſtri Diſcipuli Thomiſtæ, atque Scotiſtæ. Vos, Majoreſque veſtros ille *Pſeudo-Theologos* indigitat, quorum *ſcriptis ſcandalizati Hæretici nequitiæ, ſeu pertinaciæ ſuæ incrementum capiunt*. Cur ego veſtram cauſam ſuſcipio? Quamquam non ſuſcipio: una me in Eccleſiam ipſam pietas coëgit deſcendere in hanc arenam: illam ego dolebam gemino propugnaculo tam invicto adverſus omnem hæreſim denudari, quando vobis vitio vertitur *modus* ipſe *Scholaſticus*, quo inſtructi prodière è ſcholis veſtris Eccleſiæ, fideique Pugiles tam multi, tot palmis glorioſi.

Sed verò per me licet, ut neget ille, intentum ſe fuiſſe, cum iſta ſcripſit, in Thomiſtas, atque Scotiſtas (etſi id neganti nemo credet) hoc liquet, opinionibus diſſediſſe pridem haud ſegniter ſcholas illas, adeoque, ſiqua vis eſt argumento, probari

 infir-

infirmam methodum, quâ utuntur illæ; oſtendique *Pſeudo-Theologos* eſſe Thomiſtas, atque Scotiſtas. Prohibeat bonus Deus: non præbent iſti cogitationi argumentum illa diſſidia, quæ memorat: illis exercitati ſine ullâ fidei læſione ſunt, fueruntque hæreticis terribiles, ipſique Eccleſiæ victorias multiplices cumulare pergent.

Vis aliud, unde perſpicere liceat, nullâ exceptione ſcholarum optimi nominis Scholaſticos ſugillari ab Inſtructore? Accipe ergo & hæc: *t Defectu hujus Regulæ*, inquit, *videmus cæco modo Tyrones jurare in verba Magiſtri, & tamquam* OVES ERRANTES *ſequi* DUCES CÆCOS. *Alii voto, alii juramento certis ſententiis ſeſe alligantes, quaſi ſectas in Eccleſiâ erigunt, & quaſi pro victoriâ ſua placita defendunt.* Eſtne obſcurum, in quos ſpectent iſta?

t Inſtruct: Reg: 1. pag: 7.

Accipe & hoc. Eos, ait, *o* ſe intelligere Pſeudo-Theologos tot criminum reos, *qui ſe dicunt ſanctorum Patrum, uti gigantum, humeris inſidere, atque ita his clarius, penitiuſque S.Theologiæ myſteria, & abdita proſpicere.* Verendum igitur ne *Pſeudo-Theologus* ſit Ægidius Columna Romanus, Inclyti Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Prior Generalis, Archiepiſcopus Bituricenſis S.R.E. Cardinalis, quodque inprimis ad rem attinet, S.Thomæ Aquinatis diſcipulus, Vindexque egregius: tanti ſcilicet viri celebratur vox iſta *u*: *verum poſteriores exiſtentes ſuper humeros priorum longiùs vident, quàm priores: Nam ſi Nanus eſſet ſuper humerum Gigantis, longiùs videret, quàm Gigas.* Similitudo arguta à clariſſimo Scriptore uſurpata deinde alios invênit, qui eam vel referrent, vel ſuam facerent: livori ſubjecta eſſe poteſt, juſtæ invidiæ non poteſt: quod Lectori moderato facilè perſuadebit Dominicus Bañes *d* nequaquam adnumerandus Pſeudo-Theologis, etſi iſtâ ſimilitudine ſit uſus: *Non itaque*, ait, *quanto magis ſecundum tempus diſtamus à Chriſto majoribus tenebris* (UT HÆRETICI CONTENDUNT PERSUADERE) *involvimur: quin potiùs noviſſimi Doctores fideles antiquorum Patrum veſtigiis inſiſtentes ...... in quibuſdam expreſſiorem intelligentiam aſſequuntur, quàm antiqui Patres aſſecuti fuerint. Excipimus ſemper Apoſtolos. Neque tamen propterea noviſſimi Doctores pluris ſunt æſtimandi: ſunt enim* VELUTI PARVULI SUPER HUMEROS GIGANTUM *poſiti, qui non mirum eſt, ſi Gigantum proceritate elevati* ALTIUS ATTINGANT.

o Defenſ. pag: 36.

u In 2. diſt: 37. q. 1. a. 3. in corp.

d 2.2 q. 1. a. 7. concl. 3.

Si quid reliquum eſt invidiæ, adhibeat Lector innocuæ ſimilitudini dictum viri & perantiqui, & ſapientiſſimi Vincentii *x* *Quodcumq; igitur in hac Eccleſiâ Dei Agriculturâ, fide Patrum ſatũ eſt: hoc*

x Contra hæreſ: cap: 30.

idem

idem filiorum induſtriâ deces excolatur, & obſervetur: hoc idem floreat, & matureſcat: hoc idem proficiat, & perficiatur: Fas eſt etenim, ut priſca illa caleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliantur; ſed nefas eſt, ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Adhibebit iſtud quoque z *Sanctorum Patrum conſenſio non in omnibus divina legis quaſtiunculis; ſed ſolùm, certè præcipuè in fidei regulâ magno nobis ſtudio & inveſtiganda eſt, & ſequenda.* Iſtud denique a; *Patribus hac lege credendum eſt, ut quicquid vel omnes, vel plures uno eodemque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum conſilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quidquid verò, quamvis ille ſanctus, & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor, & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit id inter proprias, & occultas, & privatas opiniunculas, à communis, publica, ac generalis ſententiæ Authoritate ſecretum eſt.*

z Ibidem c:p: 39.

a Ibidem.

Hæc illa ſunt, quæ moderationis aliquid afferre queant Inſtructori, ne viros tam graves Pſeudo-Theologis accenſeat tam futili de causâ. Diſpiciat, quo dignum cenſeat nomine Rupertum, quando Pſeudo-Theologos nullo diſcrimine appellandos putat, qui ſe Nanos quoſdam reputant humeris inſidentes Patrum Gigantum: Rupertum audiamus: *Nimium*, ait, b *Sanctarum ſpecioſus ager Scripturarum omnibus Christi Confeſſoribus communis eſt, & tractandi illas nulli jure negari poteſt licentia; dummodo ſalvâ fide, quæ ſentit, dicat, atque ſcribat. Quis namque rectè indignetur, eo quod in eâdem poſſeſſione poſt unum, aut duos puteos, quos foderunt Patres præcedentes, plures proprio fodiant labore filii ſuccedentes? itaque juxta hanc regulam nobis quoque concedant, poſt illos puteos, quos foderunt, poſt illos tractatus, quos tractarunt Patres, & Priores noſtri, & alios fodere nos puteos proprii vomere ingenii, dummodo vivam & nos aquam reperire poſſimus, quæ nulli noceat habenti, nulli ſcandalum, vel errorem faciat legenti.* Verendum ne quiddam pejoris nominis, quàm *Pſeudo-Theologi*, aut *Theologaſtri* auferat Rupertus, ſi ſeveritate iſtâ, quâ judicium inſtituit Inſtructor, utendum erit. Ego quod ad me attinet, ſapientiſſimis viris hoc deferam, ut ſi quid effatos animadvertam, quod moderatione videatur egere, eam ipſe coner adjungere illorum orationi, cum erit ejuſmodi, ut moderationis aliquid videatur poſſe recipere: ſuum teneat modum Inſtructor, ſi non arridet meus.

b Prolog: ad comm: in Apocal:

Non vacat mihi ea perſequi omnia, quibus arreptâ occaſione evagari cogit *Defenſionem* ad deplorandam populi inſcitiam,

Sacer-

Sacerdotum incuriam, alia hoc genus. Hîc Rhodus, hîc ſaltus: Schoaſticam Theologiam, *modum & methodum* ſcholaſticam, ſcholaſticos Theologos nullo diſcrimine dehonoravit *Inſtructio*. Si Authorem pœnitet, per me licet: ſi etiam vult non fuiſſe illam ſibi mentem, conabor credere affirmanti: ſi negare pergit, ſuam id ferre *Inſtructionem*, ignorare nos jubet ſermonem humanum. Cæterum nuſquam peccaſſe Theologos quoſdam Scholaſticos, nullas tractari uſpiam ineptas quæſtiones, nuſquam locutos eſſe obſcuriùs, aut contentioſiores fuiſſe quàm par erat, iniquus ſim ſi contendam: ſi hoc unum poſtulat, tria non commutabimus verba; jam pridem id mihi perſuaſi. Quantùm verò peccaverint illi ipſi, quantùm Eccleſiæ nocuerint, ille ſtatuet confidentiùs, quàm ego.

Fui omnino longior hoc loco, quàm voluiſſem: cauſam inſtructor præbuit nuſquam alibi copioſior: tum verò ipſa impulit in Eccleſiam pietas, cujus hodie præſidium ingens in Scholaſticâ Theologiâ, & Doctoribus Scholaſticis eſt poſitum. Quoniam verò dubitare non poſſum, quin ægrimoniæ quiddam Lectoris animo infuderit implacida oratio tam multiplex, quâ Scholaſticos Theologos, modumque, & methodum Scholaſticam ſugillavit Inſtructor, animum deliniat amænior, Sanctiorque oratio Maximi Pontificis Sixti V. [a] Quiddam ex eâ delibavi ſuprà, deſcribatur verò hîc aliquantò pleniùs, concludatque hunc locum.

Divino illius munere, qui ſolus dat ſpiritum ſcientiæ, & ſapientiæ, & intellectus..... inventa eſt à majoribus noſtris Theologia Scholaſtica, quam duo potiſſimùm glorioſi Doctores Angelicus S. Thomas, & Seraphicus S. Bonaventura clariſſimi hujus facultatis Profeſſores .... excellenti ingenio, aſſiduo ſtudio, magnis laboribus, & vigiliis excoluerunt, atque ornarunt .... & hujus quidem TAM SALUTARIS SCIENTIÆ COGNITIO, ET EXERCITATIO, QUÆ AB UBERRIMIS DIVINARUM LITTERARUM, SUMMORUM PONTIFICUM, SANCTORUM PATRUM, ET CONCILIORUM FONTIBUS DIMANAT, *ſemper certè maximum Eccleſiæ adjumentum afferre potuit, ſive ad Scripturas ipſas verè, & ſanè intelligendas, & interpretandas; ſive ad Patres ſecuriùs, & utiliùs perlegendos, & explicandos, ſive ad varios errores, & hæreſes detegendas, & refellendas. His verò noviſſimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculoſa ab Apoſtolo deſcripta,* b *& homines blaſphemi, ſuperbi, ſeductores proficiunt in pejus, errantes, & alios in errorem mittentes, ſanè Catholicæ fidei dogmatibus confirmandis, & hæreſibus confutandis perneceſſaria eſt. Et pro-*

[a] Conſtit. *triumphãtis Hieruſalem.*

b 2. ad Tim. 3 non verò deſcripta à Chriſto Matt. 24. v. 24.

fectò

fectò rem ita ſe habere ipſi veritatis inimici ſunt judices, quibus Theologia Scholaſtica maximè eſt formidoloſa, qui profectò intelligunt aptâ illâ, & inter ſe nexâ rerum, & cauſarum cohærentiâ, illo ordine, & diſpoſitione, tamquam militum in pugnando inſtructione, illis DILUCIDIS DEFINITIONIBUS, ET DISTINCTIONIBUS, ILLA ARGUMENTORUM FIRMITATE, ET ACUTISSIMIS DISPUTATIONIBUS *lucem à tenebris, verum à falſo diſtingui, eorumq; mendacia multis præſtigiis, & fallaciis involuta, tamquam veſte detractâ, patefieri, ac denudari. Quantò igitur magis illi hanc munitiſſimam Scholaſticæ Theologiæ arcem oppugnare, & evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem Patrum noſtrorum conſervare, & tueri, & acerrimos veritatis defenſores meritis honoribus, quantùm poſſumus decorare. Quam ob rem, ut Seraphici Doctoris eruditio ad multorum utilitatem latiùs diffundatur &c.*

X.

Vindicatur Eccleſiæ Catholicæ Fides Chriſti.

VErba Inſtructoris accipe [c]: *Impletum putamus, quod in Evangelio prædictum eſt:* filius hominis veniens putas inveniet fidem in terrâ? *Non quod illa defecerit, aut ante conſummationem deſinet, pro quâ, ne deficeret, oravit Chriſtus; ſed quia* IN PAUCIS ADMODUM SUBSISTIT, *& quaſi obnubilatur, quæ olim radiabat ut meridies.* [c] Inſtruct. Exord pag. 6.

Paucos admodum intelligit ex eorum hominum multitudine, qui ſe fideles nuncupant, & Eccleſiæ Catholicæ filios: liquet hoc cum ex *Inſtructione* [d] tum ex *defenſione* [e] ubi oſtendit de iis ſibi ſermonem eſſe, quibus adminiſtrari Sacramenta ſolent. Rurſus fidem dicens *in paucis admodum ſubſiſtere*, agit omnino de fide ad ſalutem neceſſariâ; quod & oſtendit vox ipſa abſolutè adhibita, & clariùs indicat ipſe in *Defenſione* [f]. Aſſertionem ſuam probans eorum experientiâ, qui Sacramenta adminiſtrant. [d] Inſtruct. exord pag. 6. [e] Defenſ pag. 38. 39. [f] Ibid.

Sciebam ego & noſtrâ ætate, & non paucis Eccleſiæ ſeculis antiquioribus fidem Chriſti pravis fidelium moribus nimiùm quantùm dedecoratam. Sciebam eſſe hodie non parum, & ſuperiori ſeculo fuiſſe etiam haud paulò plus ignorantiæ in Chriſtianâ plebe. At verò noſtrâ potiſſimum ætate Chriſti *fidem in*

paucis admodum ſubſiſtere, hoc, fateor, neſciebam, & verò ſentio dictum eſſe ad injuriam Catholicæ Eccleſiæ, Romanorum Pontificum, tamque ampli gregis cuſtodum Antiſtitum, qui (Deo ſit gratia) hodieque divino æſtuantes ſpiritu huc ſuas curas, huc vigilias conferunt, ut ubique Chriſti fides radices agat, pullulet, propagetur.

Doceri ego velim, quid cenſeat Inſtructor deeſſe nobis (paucis admodum neſcio quibus exceptis) quo minus in animis noſtris Chriſti *fides ſubſiſtat*. An quia Florentinæ ſynodi fidem profitemur, proque ſynodo ipsâ cervices opponere avemus Baſileenſi furori, non ſubſiſtit in nobis fides Chriſti? an dubitare nos jubet de Authoritate Rom. Pontificis ſeorſum definientis, ut in nobis ſubſiſtat Chriſti fides? an & nullâ reſtrictione affirmare *non eſſe de fide Eccleſiæ definitiones de quæſtionibus facti*? Non audimus.

Velim & hoc doceri, quinam illi ſint *pauci admodum*, in quibus cenſeat Chriſti fidem ſubſiſtere. Ubi degunt illi Beati? quibus vivit inſtitutis, quo utitur Doctore puſillus grex? Non divinabo: Sed Lectori commonſtrabo fontem ipſum, unde potuit illa haurire Inſtructor.

g Inſtruct. Reg. 8 pag. 33. Non diſſimulat g ſummo quodam apud ſe eſſe loco Antonium Arnaldum Authorem libri de frequenti communione, ut quidem aſſirmat; proluſit Inſtructori Author libri; ubi à multis improbato lamento queſtus eſt *h Tempus Eccleſiæ præſens eſſe tempus alterationis, & ſenectutis Eccleſiæ, defectus, & occaſus Eccleſiæ. Le temps de ſon alteration, & de ſa vieilleſſe: de ſa defaillance, & de ſon Couchant.* Parum accuratus hic fuit ille: non explicuit iſtis quidem verbis, moribuſne ſolis, an & fide occideret hodie Eccleſia Chriſti: explicuit melius Inſtructor, cum dixit hoc tempore Chriſti *fidem in paucis admodum ſubſiſtere* agens omnino de eâ fide, *pro quâ, ne deficeret, oravit Chriſtus*, cui hanc labem intulerint *peſſimi Magiſtri, in errorem ducentes, ſi fieri poſſit, etiam electos*.

h Lib. de freq. com. proœm. pag. 107.

Altiùs rimari nos oportet. Eccleſiam Arnaldus comparat i diei, quem efficiens ſol Juſtitiæ *in ſuum occaſum tendat verſus finem ſeculorum*: comparat homini, qui in omni ætate ſit idem homo; ſed tamen conſeneſcat: fluvio denique ſimilem facit k *qui cælo egreſſus labatur per cunctum ſeculorum rediturus in cælum; ſicuti flumina è mari exeunt, relapſura in mare.* Non perinde commodè premit hanc ſimilitudinem, uti priores duas: non enim ſatis eâ utitur ad explicandam *alterationem, defectum, & occaſum Eccleſiæ.*

i Lib. de freq. com. proœm. pag. 107.
k Pag. 106.

Similitudinem iſtam dexteriùs tractavit Abbas vergerius, qui ſi non fuit libri de frequenti communione Author (ſagaciores credunt fuiſſe) certè Arnaldum inſtruxit Magiſter: tractavit verò in eo ſermone, quem habuit cum Venerabili viro Joanne Joyaud Ciſtercienſis Ordinis Abbate, qui ex præſcripto juris interrogatus legitimè, teſtimonio jurato confirmavit *l* Vergerium ſe audiviſſe cum diceret.

l Maximes de l'Abbè de S. Cyran pag. 408. & ſeq. Extant. in libro *Reliques &c.*

,,Præſens Eccleſiæ corpus non poſſe Eccleſiam cenſeri alio ,,ſenſu, neque aliâ de cauſâ, quàm quod in locum ſucceſſerit veræ ,,Eccleſiæ; ſimiliter, ut ſi aquæ fœtulentæ, & corruptæ alveum ,,fluvii occupanti, qui olim fluxiſſet vivus, limpidus, ac ſalubris, ,,nomen daretur ejuſdem fluvii: corruptionem verò iſtam Ec- ,,cleſiæ non ſolùm ad mores pertinere; ſed etiam ad complura ,,doctrinæ capita: perpaucos eſſe, qui veros ſeſe Eccleſiæ filios ,,poſſint dicere. *Tempus ædificandi; tempus deſtruendi:* Deum ipſum ,,ſuam deſtruere Eccleſiam; præteriſſe ædificationis tempus: E- ,,piſcopos, Eccleſiaſticos, Religioſos eſſe deſtitutos ſpiritu Chri- ,,ſtiano, ſpiritú gratiæ, & Eccleſiæ. Incumbendum eſſe ad ruinam ,,Scholaſticæ Theologiæ: S. Thomam humanis rationibus, & ,,principiis Ariſtotelis veram Theologiam perdidiſſe. Concilium ,,Tridentinum à Pontifice, & Scholaſticis celebratum eſſe, qui ,,multùm immutaverint Eccleſiæ doctrinam &c. In his omnibus ,,dictum Sancyranum enixè commendaſſe ſilentium, ac ne cui- ,,piam proderet ſenſus ſuos adhibito ſcripturæ loco: *occultè prop- ,,ter metum Iudæorum.*

Hęc illi erat familiaris cautio, quod & morti propinquus Octavius Bellegardius Senonenſis Archiepiſcopus eſt teſtatus, cum ea dictavit è lecto, quibus per Apoſtolicum in Galliâ Nuncium *m* de Abbatis Sancyrani diſcipulis doceri voluit Rom. Pontificem *m*.

m Les progrez du Janſſeniſme deſcovert.

Non unius Abbatis Ciſtercienſis auribus commiſit iſta Vergerius. Sortinum audiamus Regium in Gallia Conſiliarium *n* ,,l'on ,,connoiſt de plus en plus, que ſi ces heretiques Janſeniſtes pou- ,,voient, ils feroient . . . . . une autre Religion, & une autre Egliſe: ,,comme le feu Abbé de ſainct Cyran leur Chef en France le ,,pretendoit, ayant dit à feu M. Vincent digne de foy, qui me l'a ,,dit en preſence d'une perſonne de grande condition, qui peut ,,le temoigner, *que depuis plus de ſix cens ans il n'y avoit plus d'Egliſe; qu'elle eſtoit autre fois un claire fleuve coulant, & que maintenant ce*

n Reſponce à l'Inſolente Apologie cap. 10. pag. 126.

n'eſtoit plus, que de la boüe, & que Dieu l'avoit Choiſy, & inſtruit pour faire une nouvelle Egliſe.

Hæc illa ſunt quæ jám pridem doctrinâ, & virtute excellentibus ſcriptoribus diſplicuerunt graviter: illorum ego, fateor, & ſaporem, & quam velis longinquum odorem non fero: quid ſit intervalli vergerianum inter ſermonem, atque orationem hanc, quâ dicitur hodie Chriſti *fides in paucis admodum ſubſiſtere*, ſapiens lector conſtituat; ſed inprimis iſtud animadvertat, æſtimatiſſimum eſſe Inſtructori *o* Authorem libri de frequenti communione, qui vel eſt Vergerius Abbas Sancyranus, vel Arnaldus Vergerii Diſcipulus, animadvertat quoque Vergerium eſſe ex iis unum, quos *præſtantiſſimos Franciæ viros* appellat Inſtructor. *p*

o Inſtruct. Reg. 8. pag. 33.

p Defenſ. pag. 3.

Conſtituat verò Lector ut erit collibitum, non acquieſcam ego, niſi intelligam, quinam illi ſint *pauci admodum*, in quibus *ſubſiſtat Chriſti fides*: ſubſiſtit hæc *in paucis admodum*, non Regnis, non Provinciis, non Civitatibus, ſed capitibus hominum. Enimverò niſi nobis declaret Inſtructor, quinam illi ſint *pauci admodum*, qui genus, unde domo, quo Doctore & Magiſtro, verendum ne incautus quiſpiam Eccleſiam ſibi imaginetur mundo inviſam, atque occultatam, atque in eam partem rapiat *obnubilationem* illam, quam memorat Inſtructor, cum ait Chriſti *fidem in paucis admodum ſubſiſtere, & quaſi obnubilari, quæ olim radiabat ut meridies*: ſed ille interpres ſibi eſto.

q Defenſ. pag. 37. 38.

Interpretationem haud ſatis expedivit defenſio Inſtructoris *q*, ex quâ ego hoc unum diſco, eſſe non modicam ignorantiam in populo Chriſtiano, & fortaſſe in bene multis, qui ſe Fideles reputant, Chriſti fidem, quâ ſit opus ad ſalutem, non ſubſiſtere (cauſam hujus mali poſſem, ſi luberet evagari, veriorem aſſignare, quàm eſt ea, quæ eſt ab illo aſſignata) ſed non etiam perſuaſit mihi *Defenſio*, Chriſti fidem *in paucis ſubſiſtere*, & quidem *in paucis admodum*. Sunt numero permagno, ſunt innumerabiles per divinam gratiam, in quibus etiam hac ætate Chriſti fides ſubſiſtit. Si & ſunt non pauci, imò permulti, in quibus non ſubſiſtit Chriſti fides ad ſalutem neceſſaria (de hac ſermo eſt illi *r*) ſciat avorum noſtrorum tempore multò plures fuiſſe: teſtes ipſos audivimus, teſtarique pergunt Hiſtoriæ proximè ſuperioris ſeculi. Quorum potiſſimùm operâ dignata ſit efficere Divina Clementia, ut Chriſti fides ætate noſtrâ in pluribus ſubſiſteret, non dicam ego.

r Vide Defenſ. pag. 38

Ut ut ſit de iſtis, enodatiùs explicandum eſt Inſtructori, quid

velint hæ voces *In paucis admodum*: de iis loquitur, qui ſe Catholicos nuncupant, reputantque, ut præter alia oſtendit exaggeratio ignorantiæ *s* in iis, quibus Sacramenta adminiſtrantur. Cenſet ergo ex numero illo tanto *paucos admodum* eſſe, in quibus ſubſiſtat fides: adeoque in Belgio quidem eſſe incredibiliter pauciores illis *paucis admodum*: in Flandriâ etiam pauciores, in Civitatibus, oppidiſque ſingulis quàm multos cenſet eſſe, in quibus ſubſiſtat Chriſti fides? Ego verò ſi assereret inter eos, qui ſe Catholicos nuncupant, eſſe admodum paucos, quos liceat Juſtos dicere, & Caritate ipsâ Chriſto conjunctos, Deo committerem judicium illud. At verò quod de Chriſti fide affirmat *in paucis admodum ſubſiſtere* noſtra potiſſimum ætate, abjudico.

s Defenſ. pag 18. & ſeqq.

Hortor verò illum, ut mitiores admittat in animum cogitationes de Eccleſiâ Catholicâ: nondum adeſt, quod ait ipſe, *t* tempus illud, quo *Magiſtri peſſimi, & fabulatores miris docendi artificiis etiam in errorem ducant, ſi fieri poſſit, Electos.* Vidimus ætate noſtrâ JESU Chriſti Vicarii Pontificis Romani Authoritate coerceri *Magiſtros peſſimos*, ne in errorem ducerent pios Chriſti Fideles. Urbanum vidimus VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. Clementem IX., hæreſeon domitores: contritam vidimus, quam in Eccleſiam primus immiſerat Vergerius Abbas, vel, ſi mavult, Arnaldus *v*, *Monſtri bicipitis rabiem*: vidimus eliſam peſtem multiplicem Pſeudo-Auguſtini (libri hoc nomen eſt, non perſonæ, quis hoc non videt?) Clemens ipſe X. tenens hodie Petri Cathedram advigilat ſeriò, ne quid malorum renaſcatur: Pontifici navant operam ſtrenuam Inferiores Antiſtites, quos Eccleſia tum alibi, tum in Belgicâ noſtrâ habet pervigiles, & fidei ardore flagrantes. Huic nos Eccleſiæ, his Pontificibus, atque Antiſtitibus parcamus: fecerunt illi ad hunc diem propitio è cælis Deo, ut Chriſti fides pluſquam *in paucis admodum ſubſiſteret.* Scio non cadere in nos Magni Gregorii reprehenſionem *x* ſed ab ea cupio nos abeſſe longiſſimè: *homines qui .... ſubeſſe Sedis Apoſtolicæ præceptis nolunt, & nos quaſi de fide reprehendunt, quam ipſi neſciunt, & dum neque in fide recti ſunt ...... ſtudent, ut certare pro fide videantur; ſicque fit, ut quotidie deteriores fiant, dum in eis culpa graſſeſcit, quæ quaſi de zelo ferv*oris *videri etiam laudabilis appetit.* Gravior eſt reprehenſio, quam ut toleranda ſit nobis. Eam igitur fugiamus longiſſimè, caveamuſque ne vel tenui ejus ſpecie perſtringi videamur.

t Inſtruct. Exord. pag. 6.

v Lib. de ſeq. com. præfat. pag. 27.

x Lib. 7. Regiſt. Ep. 53.

XI.

Vindicatur Eccleſiæ Catholicæ nobis coævæ Authoritas nihilo minor quàm Eccleſiæ Antiquæ.

EST omninò cum ad alios uſus, tum ad illuſtranda fidei dogmata adverſus hæreſes perutile ſtudium antiquitatis: ſed verò in obſcuris antiquitatis monumentis ſic verſari, ut tędere incipiat Eccleſiæ nobis coævæ, & conſpicuæ, hanc aio rationem pernicioſam eſſe, fœcundamque novitatum, & errorum gravium.

Quouſque Inſtructori placuerit iſta ratio, non conſtituam. Attamen quàm abjectè ſentiat de doctrinâ ætatis noſtræ, & fide ipſâ quâ vulgò fideles hodie nuncupantur, palàm eſt ex iis, quæ dedi modò. Contrà ſuſpirans ſæpius Eccleſiam antiquam, *veritatis ſemita*, inquit, [z] *primis Eccleſiæ ſeculis conſpicua à Patribus ſine metu erroris filios docebatur . . . . . ; omnia in deterius ruunt . . . . Magiſtris optimis peſſimi, doctiſſimis fabulatores paulatim ſucceſſerunt . . . . . fides in paucis admodum ſubſiſtit.* abundat hoc genere Inſtructio.

z Inſtruct. exord. pag. 6.

Deploratâ fide ætatis noſtræ aliquantò fortaſſe meliori jure etiam mores luget: Sed inprimis *vaniloquentiam*, *tumoremque Cleri*, & Scholaſticæ Theologiæ Doctorum, *qui ſe omni exceptione majores autumant*, perſtringit, [a]: O! non ſic olim, *quando Magiſtri verbo ſano, & irreprehenſibili deſumpto ex Scripturâ, & Traditione, os occludebant Eccleſiæ adverſariis.* Poſſem ego, ſi liberet, oſtendere nullam hîc eſſe calamitatem propriam noſtrorum temporum, & vitia fidei, moribuſque adverſa nihilo pauciora tuliſſe ætates ſuperiores: ſed amplior ſit locus, quàm nobis conveniat.

a Inſtruct. Reg. 4. pag. 13.

Hoc agam, ut appareat, quàm plenum ſit periculi faſtidium quoddam immoderatum ætatis noſtræ, junctum antiquitatis cujuſdam haud ſatis perſpectæ, immani admirationi. Hauſit pathos illud animi (ſic appellare liceat) Antonius Arnaldus, ille Inſtructori tam admirabilis à Sancyrano Abbate. An ignoramus, quo illos abripuerit pathos iſtud? libet ex iis pauca tangere, quæ illi vel in ſolo Pœnitentiæ Sacramento paſſi ſunt ludibria, dum per obſcura delati Antiquitatis veſtigia, quæ ante oculos erant, non viderunt. Novam Eccleſiam ad imaginariæ cujuſdam Antiquitatis ideam eſſe molitum Sancyranum teſtimoniis proditum eſt

gravium virorum. Erat ergo, ut illi quidem videbatur *tempus deſtruendi* : orſus eſt à pœnitentiæ Sacramento : negavit vim illud habere ad abolenda peccata *b*. impium dogma Gallia execrata eſt, compreſſitque; authore dogmatis in Vincennenſi arce ſecum habitare iuſſo. Sancyrani luctum velle ulciſci dicas Inſtructoris Armigerum, cum ad ea præcipitat *c* quibus D. Thomæ Aquinati erroris ejuſdem invidiam affricari poſſe ſperabat. Ineptiam prorſus, ſi tantulum chartæ perdam, quod frangendo conatui tumultuario ſatis eſſet. Conſulat lector, cui eſt otium, Doctorem ſanctum iis locis ipſis *ſupplementi*, & *Quodlibeti* quarti, unde contraxit potiſſimum farraginem illam famoſus ſcriptor. Perlegat modò, quæ intervallo modico anticipat, ſubjungitve *d* Doctor; imò quæ iis dat locis ipſis *e* quos oſtentat ille : tum verò ſocordiæ me arguat, ſi non manu ipsâ tangens compererit, alieniſſimum eſſe Principem Theologum à peſtilenti dogmate.

Parum egerat Sancyranus, niſi & venialium noxarum Confeſſionem feciſſet vilem : negavit *Sacramentalem eſſe f* : quod virus peſſimum non ita ciecêre ex ejus ſcriptis Diſcipuli, quin ſaporem reliquerint facilè percipiendum : atque hunc prorſus ipſum *g* *Confeſſio peccatorum venialium non fuit in uſu ordinario per Eccleſiam, niſi* VALDE SERO · *pro deletione peccatorum venialium ſpatio mille annorum, & ampliùs, juſti, qui ea faciebant, contenti erant plerumque ſibi ipſis deligere quaſdam pœnitentias leves priuſquam aſſiſterent ſancto Sacrificio.* affirmat alibi *h*, *Confeſſionem poſtremum fuiſſe adminiculum ad delenda venialia peccata ab Eccleſiâ adhibitum, alia omnia antiquiora fuiſſe.* En ructationes ſtômachi faſtidientis Eccleſiæ morem præſentis.

Obtulit ſe mihi nuper Scriptio vernacula *i* Gandavo ad me deſtinata ab Amico viro, quæ & abundabat huiusmodi tædiis, & de venialium peccatorum confeſſione habebat non maximè aliena à ſuperioribus illis. Modum præſcripſerat Author, quo poſſent *non ſolùm octiduo, ſed & menſibus, & annis carere noxæ veniales notabiles* tum verò *tam iſi*, ait, *in hujuſmodi ſtatu ampliùs non ſit opus confeſſione*. NEQUE IN PRIMITIVA ECCLESIA SOLERENT CHRISTIANI IN STATU ISTO CONFITERI, *eſt tamen utile confiteri & deflere interdum peccata ſua præterita : idque præcipuè in Monaſteriis, ubi eſt conſuetudo quot hebdomadis confitendi ...... non quod ſingulis vicibus petere debeant abſolutionem, hoc enim nequaquam*

eſt.

A

b Proceſſ. legitim: contra Sancyr:
c Inſtr: vind. pag: 19.
d inprimis ſupplem. q. 10 art. 1.
e Ibid. art. 5. in corp. & quodlib. 4. art. 10. in corp.
f proceſſ. legitim. contra Sancyr
g lettres Chriſtiennes & Spirit lett: 32.
h Ibid. Lett. 92.
i Noodige wetenſchap voor deſen tijdt &c.

XI.

Vindicatur Eccleſiæ Catholicæ nobis coævæ Authoritas nihilo minor quàm Eccleſiæ Antiquæ.

EST omninò cum ad alios uſus, tùm ad illuſtranda fidei dogmata adverſus hæreſes perutile ſtudium antiquitatis: ſed verò in obſcuris antiquitatis monumentis ſic verſari, ut tœdere incipiat Eccleſiæ nobis coævæ, & conſpicuæ, hanc aio rationem pernicioſam eſſe, fœcundamque novitatum, & errorum gravium.

Quouſque Inſtructori placuerit iſta ratio, non conſtituam. Attamen quàm abjectè ſentiat de doctrinâ ætatis noſtræ, & fide ipsâ quâ vulgò fideles hodie nuncupantur, palàm eſt ex iis, quæ dedi modò. Contrà ſuſpirans ſæpius Eccleſiam antiquam, *veritatis ſemita*, inquit, [z] *primis Eccleſiæ ſeculis conſpicua à Patribus ſine metu erroris filios docebatur . . . . . omnia in deterius ruant . . . . Magiſtris optimis peſſimi, doctiſſimis fabulatores paulatim ſucceſſerunt . . . . . fides in paucis admodum ſubſiſtit.* abundat hoc genere Inſtructio.

z Inſtruct. exord. pag. 6.

Deploratâ fide ætatis noſtræ aliquantò fortaſſe meliori jure etiam mores luget: Sed inprimis *vaniloquentiam, tumoremque Cleri*, & Scholaſticæ Theologiæ Doctorum, *qui ſe omni exceptione majores autumant*, perſtringit, [a]: O! non ſic olim, *quando Magiſtri verbo ſano, & irreprehenſibili deſumpto ex Scripturâ, & Traditione, os occludebant Eccleſiæ adverſariis.* Poſſem ego, ſi liberet, oſtendere nullam hìc eſſe calamitatem propriam noſtrorum temporum, & vitia fidei, moribuſque adverſa nihilo pauciora tuliſſe ætates ſuperiores: ſed amplior ſit locus, quàm nobis conveniat.

a Inſtruct. Reg. 4. pag. 13.

Hoc agam, ut appareat, quàm plenum ſit periculi faſtidium quoddam immoderatum ætatis noſtræ, junctum antiquitatis cujuſdam haud ſatis perſpectæ, immani admirationi. Hauſit pathos illud animi (ſic appellare liceat) Antonius Arnaldus, ille Inſtructori tam admirabilis à Sancyrano Abbate. An ignoramus, quo illos abripuerit pathos iſtud? libet ex iis pauca tangere, quæ illi vel in ſolo Pœnitentiæ Sacramento paſſi ſunt ludibria, dum per obſcura delati Antiquitatis veſtigia, quæ ante oculos erant, non viderunt. Novam Eccleſiam ad imaginariæ cujuſdam Antiquitatis ideam eſſe molitum Sancyranum teſtimoniis proditum eſt

gravium virorum. Erat ergo, ut illi quidem videbatur *tempus deſtruendi*: orſus eſt à pœnitentiæ Sacramento: negavit vim illud habere ad abolenda peccata [b]. impium dogma Gallia execrata eſt, compreſſitque; authore dogmatis in Vincennenſi arce ſecum habitare juſſo. Sancyrani luctum velle ulciſci dicas Inſtructoris Armigerum, cum ad ea præcipitat [c] quibus D. Thomæ Aquinati erroris ejuſdem invidiam affricari poſſe ſperabat. Ineptiam prorſus, ſi tantulum chartæ perdam, quod frangendo conatui tumultuario ſatis eſſet. Conſulat lector, cui eſt otium, Doctorem ſanctum iis locis ipſis *ſupplementi*, & *Quodlibeti* quarti, unde contraxit potiſſimum farraginem illam famoſus ſcriptor. Perlegat modò, quæ intervallo modico anticipat, ſubjungitve [d] Doctor; imò quæ iis dat locis ipſis [e] quos oſtentat ille: tum verò ſocordiæ me arguat, ſi non manu ipsâ tangens compererit, alieniſſimum eſſe Principem Theologum à peſtilenti dogmate.

b Proceſſ: legitim: contra Sancyr:
c Inſtr: vind. pag: 19.
d inprimis ſupplem. q 10 art. 1.
e Ibid. art 5 in corp. & quodlib. 4. art. 10. in corp.

Parum egerat Sancyranus, niſi & venialium noxarum Confeſſionem feciſſet vilem: negavit *Sacramentalem eſſe* [f]: quod virus peſſimum non ita ejecêre ex ejus ſcriptis Diſcipuli, quin ſaporem reliquerint facilè percipiendum: atque hunc prorſus ipſum [g] *Confeſſio peccatorum venialium non fuit in uſu ordinario per Eccleſiam, niſi* VALDE SERO *pro deletione peccatorum venialium ſpatio mille annorum, & ampliùs, juſti, qui ea faciebant, contenti erant plerumque ſibi ipſis deligere quaſdam pœnitentias leves priuſquam aſſiſterent ſancto Sacrificio.* affirmat alibi [h], *Confeſſionem poſtremum fuiſſe adminiculum ad delenda venialia peccata ab Eccleſiâ adhibitum, alia omnia antiquiora fuiſſe.* En ructationes ſtômachi faſtidientis Eccleſiæ morem præſentis.

f proceſſ. legitim. contra Sancyr
g lettres Chreſtiennes & Spirit lett: 32.
h Ibid. Lett. 92.

Obtulit ſe mihi nuper Scriptio vernacula [i] Gandavo ad me deſtinata ab Amico viro, quæ & abundabat hujusmodi tædiis, & de venialium peccatorum confeſſione habebat non maximè aliena à ſuperioribus illis. Modum præſcripſerat Author, quo poſſent *non ſolùm octiduo, ſed & menſibus, & annis cavere noxas veniales notabiles* tum verò *tametſi*, ait, *in hujuſmodi ſtatu ampliùs non ſit opus confeſſione*, NEQUE IN PRIMITIVA ECCLESIA SOLERENT CHRISTIANI IN STATU ISTO CONFITERI, *eſt tamen utile confiteri & deflere interdum peccata ſua præterita: idque præcipuè in Monaſteriis, ubi eſt conſuetudo quot hebdomadis confitendi ...... non quod ſingulis vicibus petere debeant abſolutionem, hoc enim nequaquam*

i Noodige wetenſchap voor deſen tijdt &c.

eſt neceſſe, præcipue cum nihil habent notabile, neque de vitâ præteritâ inquieti ſunt: poſſunt igitur hi confiteri ſic: quamdam ſubdebat formulam generalis confeſſionis, quâ & generalis petebatur abſolutio. Quid videtur?

Si quæ eſt authoritas Eccleſiæ Sacramenta adminiſtrantis, nemo eſt omnium extra Sancyrani diſcipulos, qui ſuſpicetur eſſe universè neceſſarium, ut ſatisfactio à Presbytero præſcripta Confeſſionem inter, & abſolutionem media interponatur. Rem tam inſolentem ex antiquitate ſuâ imaginariâ produxit Arnaldi genius, quem tantopere admiratur Inſtructor. quid ille antiquitatis intactum reliquit, ut denique concluderet *k velle Deum ſecundum regulas ſapientiæ ſuæ, ut ſatisfactio interponatur inter recognitionem peccati, & abſolutionem Presbyteri.* Ejuſdem ſaporis hæc ſunt *l oportet ſacerdotes ligare peccatorem vinculis pænitentiæ, priuſquam illum ſolvant per reconciliationem ...... oportet conſequenter peccatores expiare ſeſe per ſatisfactionem, quam illis impoſuerit ſacerdos, priuſquam admitti flagitent ad reconciliationem.* Ac ne cenſeas, non præſcribi vel abſolutam, vel generalem neceſſitatem ſatisfactionis ante abſolutionem præſtandæ, contendit *m* authoritate ipsâ Leonis Papæ, *generaliter neceſſarium eſſe, remedium illud, ut redeatur in ſpem vitæ æternæ: neque loqui Leonem de conſuetudine politicâ, aut ordinatione mere Eccleſiaſticâ, ſed de ordinatione IESV Chriſti ipſius.* Ægris ipſis in mortis articulo vix ſe placari ſinit affirmans *n Eccleſiam pluſquam trecentis annis recuſaſſe authoritatem miniſterii ſui iis impendere, qui illud non implorarent, niſi horâ extremâ, in peccatis, vitiiſque totâ vitâ tranſactâ.* Sed quid ad uſum Eccleſiæ, quâ fruimur hodie, cujus membra ſumus? facilis reſponſio *o*, *contraria praxis Eccleſiæ eſſe poteſt hodie magis communis, quia favet impœnitentiæ generali totius mundi: Sed .... non eſt introducta niſi per indulgentiam Eccleſiæ. Alia eſt praxis originalis, praxis Apoſtolorum, praxis omnium Patrum, praxis univerſalis Eccleſiæ ſpatio fere ſeculorum duodecim.*

k lib: de freq: com. p. 2. c. 11. pag. 345.

l ibid: cap. 8. pag. 231.

m ibid: pag. 290

n ibid: c. 15 pag. 408.

o parte 2. c. 47. pag. 628.

Atque hic eſt locus, in quo exornando omnes contendit nervos Arnaldus, ut non ſit incredibile, in eum locum fuiſſe intentum Inſtructorem, cum affirmavit *præclarum demonſtrandæ Traditionis ſpecimen nuper dediſſe Antonium Arnaldum Doctorem Sorbonicum in materiâ de frequenti communione*, optatque *ſimili genio reliquas quæſtiones, & controverſias examinari, & demonſtrari: Sic enim paulatim ex ſuis tenebris reſurrecturam Apoſtolicæ Traditionis completam Specificationem.* Ar-

Arnaldi & dogma iſtud, & verba prope ipſa ſua fecit ſcriptor quidam Anonymus, qui Gandavi hoc ipſo Anno libellum edidit, quem inſcripſit *Canones Pænitentiales, quibus præmittitur compendioſa deductio* &c. guſtum lectori præbeant hæc pauca p: *Certò*, inquit, *conſtat Eccleſiam per undecim ſecula hunc morem tenuiſſe .... q Hic itaque Pœnitentiæ ordo, & decurſus erat. Primum Confeſſio peccatorum pœnitentiæque poſtulatio. Deinde impoſitio pœnitentiæ. Poſtea impoſitæ pœnitentiæ expletio. Ad extremum Abſolutio .... r Ordinem verò hunc* NON CONSUETUDO, NON POLITIA, AUT INSTITUTIO ECCLESIÆ INDUXIT, SED IPSA CHRISTI LEX, AC PRÆSCRIPTIO. En Eccleſiam, quàm latè hodie patet, hallucinantem turpiſſimè. Quod ſi & Inſtructori hæc ſunt perſuaſa, propemodum intelligo; cur exiſtimet ætate noſtrâ Chriſti *fidem in paucis admodum ſubſiſtere.*

p Compend deduct. ante med pag 18.
q Ibidem pag. 19
r ibidem pag. 20.

Sed mihi enimverò tam erit præſens oraculum praxis Eccleſiæ univerſalis, quâ fruimur hodie, quàm Eccleſiæ antiquæ. ſi quis apud me heterodoxus novitatis arguat Eccleſiam iis argumentis, quibus præſentem Eccleſiæ uſum damnat Arnaldus, conabor, quod alii præſtitêre luculentè, oſtendere, tenebras imaginariæ antiquitatis offundi luci clariſſimæ hodie lucenti. Si mihi cum eo res erit, qui Matrem agnoſcat Eccleſiam Catholicam Romanam, in promptu eſt reſponſio, quæ momenti habeat ſatis; IESUS *Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſecula s*: Securitas non errandi tam eſt Eccleſiæ extantis hodie, quàm heri, & olim extantis.

s Heb. 13.

In petrâ fundata eſt illa, tam inconcuſsâ, atque immobili hodie, quam erat olim: non eſt Eccleſia corpus, quod denique effœtum ſenio deficiat, concidatque; non illam ſol illuminat, qui olim meridiem faceret, nunc verò occidat. Una trium quatuorve, quibus Arnaldus utitur t, ſimilitudo placet: flumen eſt Eccleſia, quod ab ortu ſuò limpidum labitur, labeturque nihil perdens illius coloris, quo diffuſam habet doctrinam, nullis inficiendum diſcoloribus rivis aliunde allapſis, ſed peregrinas aquas, quibus intumeſcit, ſuo purgans nitore, atque ita alveo quidem manans grandiori, Sed originis ſuæ memor, originis habens omnia, colorem, ſaporem, ſalubritatem, ſuſurrum ipſum Chriſtianæ Doctrinæ.

t lib. de freq com. proœm. Pag. 106.

Non ergo, ſicubi conſtat de ſenſu Eccleſiæ nobis coævæ, mihi canat quiſpiam Eccleſiæ ſenſum antiquæ: tam fieri non

poteſt, ut hæc illam refellat, quàm contra: dubiumne eſſe poteſt, quis ſit illius ſenſus de non negandâ universè reconciliatione, donec ſatisfactio ſit exhibita? Priusquàm iſta muginati erant vel Arnaldus, vel Sancyranus, vel uterque; ſeculis ſaltem permultis, nemo omnium, qui orthodoxus eſt habitus, Eccleſiâ totâ ſuſpicatus eſt, negandam eſſe generatim: hanc lucem Eccleſiæ tam perſpicuam, tamque perſtringentem oculos omnium non admittere, ſed rimis quibuſdam ſectari quiddam radii longiùſquè affulgentis, imò affulgere viſi, cujus conſilii dicam eſſe?

Hoc dicam, morem illum appellandi antiquitatem adverſus Eccleſiæ ſenſum præſentem, & indubitatum, iampridem fuiſſe hæreticis familiarem. Gregorius teſtabitur *u*: *Heretici* inquit, *ut ea quæ aſſerunt, commendare ſtultis mentibus hominum quaſi de antiquitate poſſint, antiquos Patres ſe habere teſtantur, atque ipſos Doctores Eccleſiâ, ſuæ profeſſionis Magiſtros dicunt*: CUMQUE PRÆSENTES PRÆDICATORES DESPICIUNT, *de antiquorum Patrum Magiſterio falsâ præſumptione gloriantur.*

u In cap 15. Iob. c. 15.

XII.

k Conſtit: *ſolicitudo omnium Eccleſiarum*

Oſtenditur deliquiſſe Inſtructorem in Conſtitutionem k Alexandri Papæ VII. de Immaculatæ Con*ceptionis Feſto, Cultuque in favorem Piæ ſententiæ.*

FActi quæſtionem eſſe, quâ de puro Virginis Conceptu quæritur, fuit qui aſſereret *l*. En quàm eſt commoda cavillatio in quæſtione facti, ad repudiandam Eccleſiæ Authoritatem, ſi quam metuas definitionem, quæ non eſt ſtomachi tui. Idemne Inſtructor exiſtimarit, non habeo exploratum. Enimverò tamen cùm ſentiat neque Scripturâ ſacrâ, neque Traditione contineri veritatem vulgò creditam de B. Virgine, non poteſt hæc ei eſſe quæſtio illius iuris, quod ad rem faciat, quam agit. Sed nos, quod eſt propoſitum, exequamur.

l Author Apolog. pro Monaſt. Port. Reg.

Inſtructio ſic habet *m* *demonſtratur non eſſe de fide ea, quæ permittuntur per Eccleſiam à fidelibus piè credi, probari tamen non poſſunt contineri in Scripturâ, vel Traditione; v. g. Myſterium Immaculatæ Con-*

m Inſtruct. Reg. 7. pag. 23. 24.

cep-

ceptionis Beatæ Mariæ Virginis, quod quidem ob multas rationes ſuſtinetur ut verum : SED DEFECTU SCRIPTURÆ, ET TRADITIONIS DE FIDE ESSE NON POTEST.

Conſentit Inſtructionis Defenſio *n* : *Manet ergo vera mea aſſertio, ipſâ Pontificiâ authoritate ſtabilita, quod Myſterium Immaculatæ Conceptionis* B. V. *defectu Scripturæ & Traditionis, hoc eſt, quamdiu deeſt ſcriptura vel Traditio, cui innitatur, de fide eſſe non poſſit.* *n* Defens. pag. 21.

Verba illa; *Hoc eſt quamdiu deeſt Scriptura, vel Traditio*, fucum habent, qui Aſſertioni ipſi nihil detrahit. Etenim affirmat Author, tempore Gregorii XV. defuiſſe Scripturam, & Traditionem. *En, ait, o ipſemet ſummus Pontifex agnoſcit, quod Myſterium illud definire non poſſit .....* REQUIRITUR ERGO DIVINA REVELATIO, *ut tamquam de fide decernatur : hanc deſumere oportet ex æternitatis volumine, quod Deus Eccleſiæ ſuæ pandit* PER SCRIPTURAM, ET TRADITIONEM ..... *ergo ipſomet Pontifice fatente, non poterat tunc temporis Myſterium iſtud proponi tamquam fide divinâ credendum* DEFECTU SCRIPTURÆ, ET TRADITIONIS. *Quid aliud ego dixi ? an fortè à tempore Gregorii XV. Spiritus ſanctus Myſterium illud Eccleſiæ ſuæ patefecit ?* AN REVELAVIT *illud contineri in Scripturâ, vel Traditione?* liquet ex his, quod aiebam, affirmare Authorem, tempore Gregorii XV. huic Myſterio defuiſſe Scripturam, & Traditionem: *defuiſſe divinam revelationem per Scripturam, & Traditionem.* *o* Defens. pag. 23.

Atqui *divina revelatio per ſcripturam, & Traditionem*, ſi ſemel deſit, ſemper deeſt, quod etiam generaliùs fatetur Inſtructor, cui rata ſunt hæc *p* : *tam nihil eſt de fide, aut fieri poteſt, quod ab initio de fide non fuit; Chriſtus enim Dominus cum Apoſtolis totum Evangelium, & quidquid à nobis credi voluit, promulgavit.* Patet ergo inanem eſſe cautionem his expreſſam verbis in defenſione; *hoc eſt, quàmdiu deeſt Scriptura, vel Traditio.* *p* Instruct. Reg. 3. pag. 11.

Denique Cautiones, reſtrictioneſque extra Inſtructionem adhibeat, quàm volet multas : aio ego Aſſertione Inſtructionis hac ipsâ, *Myſterium Immaculatæ Conceptionis defectu Scripturæ, & Traditionis de fide eſſe non poteſt*, peccatum eſſe contra Alexandri VII. Conſtitutionem *q* *q* Conſtit. Solicitudo.

Pontificem audiamus : *inſuper omnes & ſingulos ..... qui* HANC EAMDEM SENTENTIAM, *feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea* QUOQUOMODO DIRECTE, VEL INDIRECTE, *aut quovis prætextu*, ETIAM DEFINIBILITATIS EIUS EXAMINANDÆ ....., *denique alio quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce loqui, concio-*

 ciona-

ctionari, tractare, diſputare, CONTRA EA QUIDQUAM DETERMINANDO, AUT ASSERENDO, *vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo auſi fuerint, præter pœnas, & cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubjacere volumus, & per præſentes ſubjicimus, etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, & voce activâ, & paſſivâ in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque aliâ declaratione privatos eſſe volumus: nec non &c.*

Ecce autem vetat Pontifex *contra ſententiam piam, quoquomodo directè, vel indirectè, ſcripto, ſeu voce loqui*; idque etiam *prætextu definibilitatis examinandæ*: vetat *contra eam quidquam determinare, aut aſſerere* QUOVIS EXCOGITABILI MODO *differendo.*

Porro aſſerere aliquid contra ſententiam piam, eſt aſſerere aliquid, quod vel falſam faciat, vel minùs certam ſententiam piam, quàm ii vulgò eam habeant, qui tenent ſententiam. Hoc enim omne eſt ſanè contra ſententiam piam. Atqui minùs certam ſententiam, quàm ii vulgò eam habeant, facit, primùm quidem, quod eam *deficiat Scriptura*. Tum verò quod & *Traditio deficiat*: ac denique quod *de fide eſſe non poſſit*: cenſent enim illi vulgò his contraria ſingulis: non igitur fas eſt hæc aſſerere ſingula. Aſſeruit ſingula Inſtructor.

Memini ego viris doctis offendere viſum in Conſtitutionem Alexandri, quam tractamus, non neminem, qui unum modò teſtimonium Doctoris cujuſpiam aſſeruerat non ſuffragari piæ ſententiæ, contra atque aſſerebatur propoſitis Theſibus. Hoc idem & mihi viſum, ſaltem moderatione hac; ſi vulgò ſententiæ piæ patroni Theologi teſtimonio illo uterentur ad ſtabiliendam ſententiam: poſſet enim contendi à quopiam, Alexandrum Pontificem immunem contradictione voluiſſe piam ſententiam, non unius alteriuſve, ſed communem: hoc ipſum quàm rectè contendi poſſet, non definio. Cæterum ſi cenſeas promiſcuè id licere, non facilè dixeris, cur non & fas ſit ſcripto libro diſſolvere argumenta ex ordine ſingula, quibus ſtabiliri ſolet Conceptio Virginis puriſſima.

r Inſtruct. Reg. 2. pag. 9.

Quoniam ergo, ut fatetur Inſtructor r, *peti debet Traditio ex Conciliorum, & Pontificum decretis & ſanctorum Patrum, & antiquorum libris*: quoniam etiam Marianæ integritatis ſtudioſi Scriptores congeriem inſtruxêre tantam authoritatis antiquæ,

ut

ut Traditionem aſſererent Conceptioni Virginis ſine maculâ, videat ille quantùm præſidii detraxerit piæ ſententiæ, vel unam detrahens Traditionem. Haud abſimilis de Scripturâ ſacrâ exaggeratio eſt in promptu; ſed rem ipſam videt Lector.

Parum erat id poſuiſſe, unde eſſet conſequens, non poſſe ab Eccleſiâ certo fidei decreto confirmari piam ſententiam: non ſe abſtinuit, quin id ipſum enuntiaret diſertè: *defectu* inquit, *Scripturæ, & Traditionis de fide eſſe non poteſt.* Suo piam ſententiam præſidio exuit; exutæ, nudatæque inſtat; *de fide eſſe non poteſt.*

Conficiamus tandem, *aliquo excogitabili modo differendo, directè, vel indirectè locutum eſſe* Inſtructorem, *determinaſſe, aſſeruiſſe quidquam contra ſententiam piam,* quod fas non eſt, *etiam prætextu definibilitatis ejus examinandæ:* multò minùs *definibilitatem* eam ipſam, de quâ Pontifex loquitur, tam præciſè negando, geminamque radicem *definibilitatis*, Scripturam, & Traditionem elidendo.

Erit qui contendat, hoc unum vetuiſſe Pontificem, ne quis loquatur contra piam ſententiam *poſitivè* affirmando maculatam fuiſſe Virginis Conceptionem. Etenim plus nihil vetuiſſe Alexandrum VII. quàm Paulum V. & Gregorium XV. cum declaret ſe *velle laudabili huic pietati ..... Romanorum Pontificum Prædeceſſorum ſuorum exemplo favere, nec non tueri pietatem &c:* declaret item; ſe *innovare Conſtitutiones, & decreta à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus ſuis, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis animam B. Mariæ Virginis in ſui creatione...... à peccato Originali præſervatam fuiſſe.*

Nulla ſpes eſt in iſtis. Profitetur Alexander, ſe velle exemplo Deceſſorum ſuorum favere communi pietati: faverant Deceſſores Pontifices adjungendo quiddam favoris piæ ſententiæ, quod priores Pontifices non adjunxerant; horum igitur exemplo & ipſe piæ ſententiæ adjunxit favoris quiddam, quod non adjunxerant priores. Vetuerat Sixtus IV. [1] ne quis hæreſeos notam inureret piæ ſententiæ, diceretve Eccleſiam ſolùm colere feſtum *ſanctificationis.*

[1] Conſtit. *grave nimis.*

Plus aliquid favoris Piæ ſententiæ adjunxit Paulus V. prohibens, ne in publicis actibus auderet quiſpiam aſſerere, infectam maculâ fuiſſe Virginis Conceptionem.

Favorem auxit Gregorius XV. aſſeri idem vetans etiam in privatis colloquiis, ſcriptiſque.

Tandem verò Alexander VII. ut piæ ſententiæ faveret prorſus exemplo Deceſſorum ſuorum, & ipſe adjunxit favoris quiddam, quod priores non adjunxerant; vetuit omnino *contra ſententiam piam* QUOQUO MODO *directè, vel indirectè, ſcripto, ſeu voce loqui, contra eam quidquam determinando, aut aſſerendo .... aut alio* QUOVIS EXCOGITABILI MODO *differendo*. Præclarè eſt imitatus Pontifex Deceſſores ſuos: augeri illi ſtuduerant Pontificium favorem erga ſententiam piam: ſuperavit ipſe omnium pietatem, favoremque erga Piam ſententiam auxit in tantum, ut non ſolùm vellet nefas eſſe eam repudiare; ſed & *quolibet excogitabili modo contra eam differere*: voluit ergo prorſus exemplo priorum Pontificum favere piæ ſententiæ, & tamen ſuperare favorem priorum Pontificum.

Sunt profectò voces illæ, *quoquo modo, directè, vel indirectè, quolibet prætextu, quolibet excogitabili modo &c.* tam exquiſitæ, ut, quando illa, quæ proximè differui, haud ſatis ſibi conſtarent, non dubitarem ego aſſerere, Pontificem, cum dixit ſe *velle exemplo priorum Pontificum favere* communi pietati, intentum fuiſſe in ea ſola, quæ mox ſubjungit innovans Conſtitutiones, & decreta priorum Pontificum. Hoc ubi præſtitit, novam exorſus orationem, & tamquam plus aliquid expreſſiùſque dicturus, quàm priores dixerant, ſic aſſurgit; ET INSUPER *omnes & ſingulos &c.*

Atque ex his liquet, penitus ſpem eſſe inanem, quam præbere queant ea verba, quibus declarat Pontifex, ſe innovare Conſtutiones, & decreta Deceſſorum Pontificum. Innovat prorſus: ſed non ſatis habet innovaſſe: mox enim ET INSUPER, inquit, *omnes, & ſingulos, qui .... hanc eamdem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè* &c.

Quid ego his immorer? Evidens facit Conſtitutio ipſa, plus aliquid vetuiſſe Alexandrum, quàm priores Pontifices. Vetuit *piam ſententiam in Diſputationem revocare*: non eſt idem *in diſputationem revocare, & negare piam ſententiam.* Vetuit *contra ſententiam piam argumenta afferre, & inſoluta relinquere*: non eſt hoc idem, quod affirmare maculam Conceptionis. Vetuit quoque *mero examine definibilitatis* efferri quidpiam, quod adverſaretur Piæ ſententiæ: mero examine definibilitatis non affirmatur Conceptionis macula. Mitto pœnas, quas decernit permultas haud decre-

tas prius. Quâ ergo veri ſpecie ſuſpicetur quiſpiam ex verbis illis *Exemplo Prædeceſſorum noſtrorum*, atque *innovantes &c.* hoc unum vetuiſſe Pontificem, ne maculata aſſereretur Virginis Conceptio? ſunt alii, aliique modi loquendi, ſcribendique contra piam ſententiam: vetuit contra eam *quoquo modo*, *quolibet excogitabili modo &c. ſcripto, ſeu voce loqui.*

XIII.

Vindicatur Eccleſiæ, & Romanis Pontificibus Authoritas, & poteſtas definiendi quodam fidei decreto Glorioſam Virginem Dei Matrem MARIAM *eſſe conceptam ſine maculâ peccati, quam illis poteſtatem abrogavit Inſtructor.*

MYſterium, inquit, *Immaculatæ Conceptionis defectu Scripturæ, & Traditionis de fide eſſe non poteſt.* Quantam rem, quam paucis verbis affirmat! Neutrum illi concedent, qui Integritati ſtudent primæ Conceptionis, ut defectum hîc agnoſcant, vel Scripturæ, vel Traditionis ſacræ, quæ habeat ſatis momenti ad definitionem Authoritatis ſupremæ. Evolvitne eos codices, quos de hoc argumento ſcripſerunt illi? haud paulò illuſtriùs dedêre ſpecimen eruendæ ex ſuis tenebris Traditionis, quàm ille tam æſtimatus Inſtructori, quem alibi audivimus. Sed quin ſe accingit ad diſſolvendum illud omne genus argumenti, quod illi ex Scripturâ ſacrâ, & ex omni retro antiquitate petitum contulêre ad ſtabiliendam piam ſententiam? Hunc laborem quando aſpernatur, non ero tam inſipiens, ut illud omne argumenti, & monumenti genus huc accerſam. Fortaſſe compendio majori ad communem ſenſum traducere virum licebit.

Etiamne hoc negabit, obſecro, Piam ſententiam videri probabiliorem, vel ſaltem probabilem, & quidem ex ſacrâ authoritate, ſeu Scripturæ divinitus dictatæ, ſeu Patrum ſanctorum, quâ eſt potiſſimum inveſtiganda Traditio?

Injurius ſit graviter Romanis Pontificibus tam multis, qui & peculiari feſto, & officio ſacro, atque alio honore vario condecorarint

corarint Virginis Conceptionem primigeniæ labis expertem, idque nullâ impulſi ſaltem probabili ratione Authoritatis ſacræ; ſed ignobili momento opinionis vulgaris, algentibus nixæ ratiunculis. Contendet haud eſſe exploratum ſatis, Piam ſententiam ſacrâ Scripturâ contineri, aut Traditione. Non hoc ago nunc quidem.

Anne ignoramus, eſſe non pauca, quæ, cum eſſent olim ex Scripturâ ſacrâ, & Traditione non niſi probabilia, fuerint deinde collocata in majori luce, ac denique fidei dogmata evaſerint omnes obligantia? Scimus, Innocentii Papæ III. ætate nonniſi probabile fuiſſe, infantibus per baptiſmum infundi gratiam: teſtem habemus Innocentium ipſum *t*. Scimus, vires deinde ſumpſiſſe doctrinam de gratiâ infantium, Clemente V. in Viennenſi Concilio eam amplectente *u* *tamquam probabiliorem*. Quid autem hodie? ſiqua eſt veneratio Tridentini Concilii *x*, non negabimus ad fidei Catholicæ dignitatem evectam eſſe ſententiam, quæ erat olim non niſi probabilior, imò ne probabilior quidem. Sunt alia hujus generis permulta: Diatribam vide *z*.

t Cap. Maiores de Baptiſmo.
u Clement. unica de Sum Trin.
x Seſſ. 7. de Sac. in gen. Can. 7. de Bap Can. 13. &c.
z num 446.

Interea nobis pronuntiat Inſtructor, nihil hæſitans, *Myſterium Immaculatæ Conceptionis de fide eſſe non poſſe.* Credam non comperiſſe ipſum, contineri Scripturâ quâpiam, aut traditione piam ſententiam: ſed anne cenſet ſagaces viros defuiſſe olim Innocentio III, & Clementi V? ne illi quidem compererant Scripturâ ſacrâ, aut Traditione contineri opinionem, quam improbabant: non illico proſilire illis licebat, ut aſſererent, non poſſe ab Eccleſiâ definiri, aut de fide eſſe non poſſe infuſionem gratiæ per baptiſmum infantibus adhibitum.

Quid ego tam longinqua repeto? In ipſo Trid. Concilio nihil verear affirmare, definita eſſe non pauca, quæ non ſolùm olim, ſed in Concilio ipſo prius, quàm definirentur, atque inter ipſos Concilii Patres probabilitatis modum non excedebant. Exemplú pro multis unum, ſed illuſtre dedit Author Diatribæ *a* ex Hiſtoriâ Concilii petitum *b*. Quantâ & contentione, & diſſenſione diſceptavêre illi Patres: eſſetne in Eccleſiâ poteſtas, irrita reddendi clandeſtina conjugia? Acriorem conflictationem Tridentum non vidit. Non eſſe in Eccleſiâ poteſtatem illam affirmabant graviſſimi Patres, & Theologi numero permagno: ipſi Concilii Præſides diffidebant: ſed illi verò eâ moderatione, ut profiterentur acquieturos ſeſe Romani Pontificis judicio. Acquieve-

a Ibidem, & Num. 303
b Lib. 22. c. 4. c. 9. lib. 23. c. 9.

quieverunt: ſubſequens Papæ approbatio ſententiæ aliquantò plurium, ſuſtulit dubitationem omnem teſte Hiſtoriâ c. Sunt hæc profectò, quæ cautionem à nobis poſtulent, ne tam nullo temperamento, tamque præciſè negemus, *de fide eſſe poſſe* probabiliſſimam ſententiam de Virginis Conceptione purâ peccati. c Lib 23. c. 9.

Si quis angit ſcrupulus, quo pacto queat ab Eccleſiâ definiri, quod non continetur liquidiſſimò in Scripturâ ſacrâ & Traditione, ii Theologi audiantur, qui hæc profitentur: deguſtemus ex iis pauca, quæ Virginis Conceptionem tractans Franciſcus Suarez diſſeruit d: *Ad hanc*, ait, *definitionem ſatis eſt, ut aliqua ſupernaturalis veritas in Traditione, vel Scripturâ implicitè contenta ſit, ut creſcente communi conſenſu Eccleſiæ, per quam ſæpe Spiritus ſanctus Traditiones explicat, vel Scripturam declarat, tandem poſſit Eccleſia definitionem ſuam adhibere, quæ vim habet cujuſdam revelationis reſpectu noſtri.* His, credo, haud multum tribuit Inſtructor. Spes eſt fore, ut commoveant graviſſimi Pontifices, ipſique Principes noſtri & Catholici Reges. d Tom. 2 in 3 p diſp 3. ſect. 6.

Contra, ac ſentit ille, judicarunt jam pridem Romani Pontifices permulti, certum loquendi, ac diſputandi modum nobis præfinientes, *donec res ipſa ab Eccleſiâ, aut Sede Apoſtolicâ definiretur.* Vetuit Sixtus IV. Pontifex e, opinionem affirmantium Conceptionis maculam graviori notâ inuri; *Cum nondum ſit*, inquit, *à Rom. Eccleſiâ, vel Apoſtolicâ Sede deciſum.* Terminum decretis ſuis f Paulus V. & Gregorius XIII. hunc fixêre; *Donec Articulus hujuſmodi à ſanctâ Sede Apoſtolicâ fuerit definitus:* Cavet denique Alexander Papa VII. g, ne maculam affirmantibus hæreſeos crimen objiciatur; *cum à Romanâ*, inquit, *Eccleſiâ, & Apoſtolicâ Sede nondum fuerit id deciſum.* Ridiculæ verò ſummorum Pontificum illæ cautiones, ſi non judicarent, rem poſſe definiri. Hoc ipſum cum pro ſententiâ piâ Paulo V. multis perſuadere eſſet conatus Antonius à Trejo ex ordine Seraphico Carthaginenſium in Regno Murciæ Epiſcopus, atque à Philippo III. legatus Romam Orator, reſpondit Pontifex h, *manifeſtius eſſe, rem hanc eſſe definibilem, quàm ut tot tantiſque argumentis probetur ...... nec de ſuâ, ut definiat, poteſtate, ſed de definitionis convenientiâ, aut neceſſitate dubitari.* En quantis Doctoribus adverſetur Inſtructor, cum pronuntiat, veritatem probatam *Catholicis fere omnibus*, teſte Alexandro i, *defectu Scripturæ, & Traditionis de fide eſſe non poſſe.* e Extravag. *grave nimis* de Reliq. & ven. SS. f 31 Aug. 1617. 24 May. 1622. g Conſtit. *ſolicitudo omnium Eccl.* h Teſte Waddingo in legatione Sect. 2. prope finē pag: 289. i Conſtit. *ſolicitudo.*

Sed quàm miros nobis Romanos Pontifices pariter, & Princi-

pes noſtros, Regeſque Catholicos facit? Quid voluêre ſibi legationibus magnificis, quibus Paulum V. & Gregorium XV. fatigarunt gemini Philippi III. & IV. Hiſpaniarum Reges? quid ſuis litteris, votiſque ad Apoſtolicam Sedem ſupplicibus egerunt Iſabella Regina, Regiuſque Frater Ferdinandus Cardinalis, & Margareta Auſtriaca Maximiliani Imperatoris filia? *k* quid denique Hiſpaniarum Epiſcopi, Eccleſiæ, Academiæ, Regna univerſa? *l* Magnas verò egiſſe nugas oportet, cùm hoc egerunt, ut immobili fidei decreto confirmaretur Pia ſententia, quod omnino haud poſſe fieri narrat Inſtructor.

k Vide Waddingũ in legat: ſect: 4. pag: 439.

l Vide Alexand: VII. Conſt. *ſolicitudo* Item Wadding: in legat: ſect: 2. pag: 27.

Ipſi verò Pontifices Romani quàm graviter, & quàm re futili ſe occuparunt! Magno ingreſſum apparatu Paulus V. amplectitur Philippi III. Oratorem Antonium à Trejo. *Capſam accipit non mediocrem litterarum Academiarum, Regnorum, Civitatum, Eccleſiarum, Præſulum, & Religionum ſuis faſciculis diſtinctarum* *m*: Regis Philippi per Oratorem exponi preces audit, expenditque ſingula maturè. Quàm vana hæc, ſi non aberravit Inſtructor! Plus nihil habuêre ſolidi momenti, quæ cum eodem Pontifice Albuquerquius Dux, aut quæ cum Gregorio XV. Montis Regii Comes, & cum Alexandro VII. Ludovicus Placentinus Epiſcopus Catholici Regis nomine tractavêre. Miri prorſus cum Pontificibus Reges, Regna, Civitates, Eccleſiæ, Epiſcopi, Academiæ, omnes Ordines, niſi totâ aberret viâ, qui affirmat, *Myſterium Immaculatæ Conceptionis defectu Scripturæ, & Traditionis de fide eſſe non poſſe*; quod idem non dubito, quin cenſeat de opinione Conceptionis maculam affirmante. Sed verò aberraſſe illum longiſſimè, non poteſt homini cordato non perſuadere ille conſenſus Scriptorũ omnium, uno fortaſſe dempto, ſi Waddingo credimus *n*; pauciſſimis, ſi Nidhardo *o*: ne illi quidem, qui de Conceptione Virginis ſecus ſentiunt, ac vulgò cæteri, dubitant, quin poſſit omnino in alterutram partem res definiri: optant verò pro ſuâ in glorioſam Virginem pietate ubique teſtatiſſimâ, rem definiri in eam partem potiùs, à quâ non ſtant ipſi. Inſtructor verò, qui neutram in partem, ſi non fallor, definiri poſſe autumat, per me licet, ut opinionem iſtam ſolus amet.

m Wadding: ibid: pag: 30.

n Ibid: ſect: 2. pag: 246

o Exam: Theol: p. 1. § 17.

APOLOGIÆ
Pro Romanis Pontificibus &c.

PARS II.

Contra Inſtructionis vindicem Anonymum.

HIc verò quem ſurculum fruticata ſit *Inſtructio* Lector conſiderabit. Famoſas vindicias Authoris Anonymi Inſtructor nuncupat *p Scriptum Apologeticum cujuſdam Zeloſi deſtitutum conditionibus per leges requiſitis, & ita compoſitum, ut facilè poſſet ſuperiorum indignationem in ſe trahere.* Duo igitur illi diſplicuerunt in vindiciis illis: primùm quidem defectus Approbationis &c. tum verò quidam *modus compoſitionis.* Sapientibus viris diſplicuerunt in vindiciis præter hæc duo alia non pauca ad doctrinam ipſam pertinentia. Sunt tamen ea fateor ejuſmodi, ut à placitis Inſtructoris pleraque haud diſſideant. Quare quæ de doctrinâ ipſâ adverſus vindicias erant diſputanda, anticipata ſunt pleraque: reliqua videamus.

p Defenſ. pag. 4.

I.

Retunditur impetus, quo in Authoritatem Romani Pontificis incurrere eſt auſus Inſtructionis vindex Anonymus.

MEdicis aſſentior: *Venenata, & acuta inducias non patiuntur.* Gliſcit ardor peſtilens, ac, niſi obſtiteris maturè, unus illi eſt modus exeri, expandique ſine modo. Inſtructionem privatam, veneno perſperſam tacito, quis valde metueret? At privata In-

ſtructio typis non indiguit, ut publica fieret. Plurimum perſentiſcens malum quiſpiam, Inſtructionem ſcripto pervellit: ecce autem, quâ manu ſcripta ſerpebat, mox eadem excuſa typis infamibus volat quaquaverſum comitata vindiciis ſe turpioribus. Mox deinde verita, ne ſuis ipſa perderetur Vindiciis, renuntians contubernium, formam ſumpſit Inſtructionis pudicæ, ac probæ, novis excuſa typis, inſignis etiam Authoris nomine, Cenſoriſque, ac Typographi: Sic ornatam, ſic munitam quis non acciperet? In diebus paucis defecêre exempla: tertiis excudenda typis fuit: Inſtructionem excuſam toties excepit etiam Defenſio. Sed hæc valeant.

Mali furenter gliſcentis ſpecimen dabunt præcipuum Inſtructionis vindiciæ famoſæ: nihil aberres, ſi, quod habet Inſtructio mali ſeminis, id omne germinaſſe dicas in vindiciis: ſpecimen hic habe quod ſeſe offert primum.

Dubius erat Inſtructori *Infallibilitatis modus*, quo ſeorſum Pontifex Eccleſiam docet: Inſtructoris Armigero, ac Vindici, ne dubius quidem eſt modus iſte. Certum, decretumque habebat Inſtructionem vindicare: animadvertebat, nullâ id vi poſſe effectum dari, niſi eodem quaſſata niſu rueret illa Petra, quam Eccleſiæ ſuæ firmamentum æternum juſſit eſſe Chriſtus: ſic ergo mihi viſus eſt dicere; Ruat vel in me Petra illa, ſi hâc ruinâ eſt opus, ut ſalva ſit Inſtructio: *Quo enim*, inquit. q *illa* FUTILIUM, ET TOTIES CONVULSARUM *de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum Authoritate, atque in fidei*, & (QUOD VIX SIBILO MERETUR EXCIPI) *factis etiam quaſtionibus decernendis infallibilitate aſſertionum farrago, & rhapſodia?*

q Inſtruct. vindic in proœm. pag. 3.

Hæc verò in ipſo aditu ſcriptionis, ac primis pene verſibus ubi percuſſere oculos meos, cohorrui fateor, cœpique dubitare, num ex Galliâ Calvini Diſcipulus has ad nos chartas deſtinaſſet. Tu, Lector, ſi tantillum eſt otii, huc ades animo, & rem ipſam puta mecum.

Poteſtne ſapienti orthodoxè non accidere intoleranda vox iſta, quâ FUTILES ille, & *toties convulſas* appellat aſſertiones *de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum Authoritate*? Faciamus ſanè, ut veræ non ſint, demus infirmatas eſſe jam ſæpe: *Futiles* profectò non ſunt, ac ne *convulſa* quidem. Futilemne Aſſertionem in illo orbis Chriſtiani Theatro propugnarunt Tridentini Patres prope omnes? Atqui Romano Pontifici poteſtatem Concilio Oecu-

menico majorem ſuffragiis illi ſuis aſſerebant FERE OMNES ; *reſpectus* PAUCORUM QUORUMDAM *Gallorum, qui decimam vix partem conſtituebant, retinuit Pontificem, & Legatos, ne decretum ſuſciperent* [r] : Pontificii Legati conteſtabantur, *ſe rem habere tam certam ut vitam prius eſſent posituri, quàm permiſſuri, ut in dubitationem vocaretur poteſtas illa.* [s] Futilem denique nemo pius dixerit Aſſertionem tantâ nixam Authoritate Sanctorum, ipsâ Conciliorum Generalium confeſſione expreſſam toties, & tam diſertè, quod alibi demonſtratum eſt. [t] Vereor profectò, ne futilia cenſeat ille, præ Baſileenſi conventiculô, Concilia cætera; ſed pergamus.

Poteſtne, amabo, videri orthodoxo homine digna oratio, quâ *futiles* ille, & *toties convulſas* appellat Aſſertiones *de Pontificis Romani in quaſtionibus fidei decernendis infallibilitate*? Frontem retegat, quiſquis eſt, qui de latebris ſuis peſtem in vulgus ſpargere eſt auſus teterrimam, ſatis tutus ſibi viſus, ſi ſatis tectus. Quis eſt iſte qui *exprobravit agminibus Iſrael hodie* [v]? Contra aſpiciat omnem, quàm latè patet, Eccleſiam, novam pariter, & antiquam ex Vaticanâ arce oracula petentem: huc Patres ſanctiſſimos, & antiquiſſimos, huc ſynodos ipſas Oecumenicas certæ veritatis amore perfugientes: amplificatus eſt locus in Diatribâ [x]. His ille nihil territus ſatis habet jeciſſe confidentiſſimam vocem; *futilis & convulſa* ſæpius eſt Aſſertio. Apparet verò Cenſore hic opus eſſe, non diſputatore.

Attamen præ ſe fert venerationis quiddam erga S. Doctorem Auguſtinum. Etenim Auguſtinum *ſecundum ſcripturas primum veneratur* [z]: Auguſtini auferat breve, & aureolum hoc [a]: *Iam de hac causâ duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt: cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error.* Non diſperdam plures hoc nitore gemmas Auguſtini Hipponenſis. Auguſtinum *ſecundum ſcripturas primum veneratur*: quem Auguſtinum? Hipponenſem? Malim profectò: ſed verius cenſeo Iprenſem eſſe, quem ſeſe ait ſecundum Scripturas primum venerari: Hic prorſus ipſi eſt *Magnus, atque Eximius Doctor* [b], *Glorioſiſſimus Præſul*, [c] *Incomparabilis Doctor* [d]. Doctori igitur auſcultet *incomparabili* in eâ epiſtolâ, quâ Romano Pontifici dedicatum voluit librum infelicem: *Quem Lydium lapidem explorabimus niſi Petram illam*, AD QUAM FRANGITUR VERITATE QUIDQUID LUCET VANITATE? *Quam Cathedram conſulemus, niſi* AD QUAM PERFIDIA NON HABET ACCESSUM? *Quem deniq; indicem depoſcemus*, NISI VICARIUM VIÆ, VERI-

[r] Hiſtoria Conc. Trid. Introd: cap: 10. n. 5.
[s] Ibidem lib. 19. c. 14.
[t] Diatrib. à num: 234.
[v] 1. Reg. 17
[x] ad Aſſert. 47.
[z] Pag. 18.
[a] Serm: 2. de verbis Apoſtoli.
[b] Pag: 14.
[c] Pag 16.
[d] Pag. 25.

TATIS, ET VITÆ, *quo duce, ac Doctore nec errare, nec falli, nec mori quiſquam à Deo ſinitur, niſi propriâ voluntate* &c. Aut hoc, aut nihil eſt, quo ſe doceri ſinat famoſi Author libelli: ſed vereor, ne Romano Pontifici ſit infenſior, quàm Pſeudo Auguſtini amantior.

Quid illud denique, quod FUTILES appellat aſſertiones *de Pontificis Romani in fidei & (quod vix ſibilo mereatur excipi) facti etiam quæſtionibus decernendis infallibilitate?* Opportunior erit infra locus expendendi impietatem iſtam.

Non prætereibo genus procacitatis, quo haud ſcio, an aliud edi poſſit illuſtrius argumentum animi erga Vicarium Chriſti Pontificem irreligioſi. Memor ſit Lector, inter Bayanas Propoſitiones, quas ut *hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas* &c. damnarunt Pius V. Gregorius XIII. atque Urbanus VIII. Summi Pontifices, hanc eſſe ſeptimam vigeſimam: *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.* Animadvertit famoſus ſcriptor, ſenſit, vidit Summorum ſententiam Pontificum Propoſitionem damnantium: an eſt reveritus? ediſſerat ipſe *e*: *De gratiâ*, inquit, *Salvatoris*, SINE QUA (ARRIGE AURES, MI PATER) *quàm nihil boni poſſumus, tam* NON NISI AD PECCANDUM VALEMUS, *indeſinenter implorandâ ne verbum quidem.* Parum erat illigaſſe damnatam Propoſitionem in ſcriptionem ſuam: cavit, ne prætervolaret oratio, lectoremque fugeret auſus nefarius: altior inſiſtens, *Arrige aures*, inquit: hoc mihi velle eſt viſus; Loquar non vulgaria: quid ad me Romana decreta? vobis Pontificum aſſentatoribus præfinitò loquendum eſt: mihi meus *Doctor admirabilis*, & *Glorioſiſſimus Præſul* animos facit majores: en ergo; ſine gratiâ Salvatoris non niſi ad peccandum valemus. Quid ego ad hæc? Hieronymus loquatur *f*; *Quiſquis es aſſertor novorum dogmatum, quæſo te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei:* aures habemus orthodoxas, atque Romanas, mellitis Romanæ fidei canticis aſſuetas: noli quæſo eas infuſo horrore iſto lacerare: nemo te pius audiet, & amabit.

e Pag. 10.

f Epiſt: 65. ad Pammach. & Occean.

II.

Romanos Pontifices ſibi ipſis adverſos comminiſcitur Inſtructoris vindex Anonymus; ſed auſu tam caſſo quam temerario.

ACceperat ab Inſtructore quiddam jactatum temere de Pontificibus non admittentibus illum *Infallibilitatis modum*, quo ſeorſum definit Pontifex: hîc ille erigit ſeſe quaſi producturus omnino phalangem Pontificum adverſus ipſos Pontifices. Animi viriles, conſilium vix puerile. Unum producit Adriani Florentii teſtimonium *g*, de hoc ſermo nobis ſupra fuit.

Habebat, ſi credimus, Pontificum ſeſe ipſos damnantium ſententias permultas: his coacervandis noluit immorari: *Poterit*, inquit, *h eas Lector collectas videre apud primum Galliæ Criticum* JOANNEM LAUNOYUM. De Joanne Launoyo accipe Vincentii Baronii judicium *i Quàm cordi illi eſt Heterodoxis gratificari, & quæ à Bellarmino lethalia vulnera accepit ulciſci?* Gratulantes Launoyo Heterodoxos exhibent Rainaudus *k* Thierſiuſque. *l*

Legi ego Launoyi Epiſtolam ad Gerbaſium, quâ hoc agit, ut Pontificum teſtimonia Authoritati ſuæ adverſantium coacervet: tam eſt inanis, & ſtolida, ut eam appellare nominatim ſit veritus Author ipſe vindiciarum famoſus. Inſcitiſſimè congeſta habet epiſtola, quæ ad rem faciunt nihil: vix ullum ibi invenias Pontificium teſtimonium, quod vel ſpeciem habeat affirmantis, errare poſſe Romanum Pontificem è Cathedrâ docentem, ſeu eâ volentem uti Authoritate, quam Petro, ejuſque ſucceſſoribus Chriſtus conceſſit verbis illis; *Paſce oves meas ... Confirma fratres tuos m.* Quid mirum? oſtendit ipſe *n* neſcire ſe, quid ſit Pontificem è Cathedrâ docere: *Quid tandem ſonat*, inquit, Pontifex ex Cathedrâ? *Pontificem docentem ſonat, & præterea nihil.* Intolerandus verò eſt hominis fucus, ubi Bonifacio VIII. *o* ait impactum errorem à Clemente V. *p* litteras adeat Clementis Lector, atque iram teneat, ſi poteſt.

Præcipuè inſiſtit in Pauli IV. Conſultatione quâdam, de quâ conſtet ex Joannis Haya Pariſienſis Theologi relatione. Summa rerum hæc eſt: Conſilia exquirebat Pontifex, num poſſet Authoritate

g Inſtruct. vindic: pag. 8.

h Pag. 8.

i Apolog. pro Relig. l. 1. ſect. 2. art. 4. pag. 136.

k Hercul. Commodian quæſ. 5.

l Defenſ. adverſus Joan. Laun.

m Lucæ 22.

n Pag. 18.

o Extravag. *unam ſanctam* de Majoritat.

p Extravag. *Meruit* de privileg.

thoritate ſuâ diſſolvi ratum Matrimonium: monuit verò, quos conſulebat ne fiderent factis, & exemplis Deceſſorum ſuorum: tum addidit; *non dubito quin ego, & Deceſſores mei errare aliquando potuerimus.* Quid hinc Launoyus conficiet? non aliud, quàm Pauli IV. judicio in illâ conſultatione fieri potuiſſe, ut errarent Pontifices iſta facientes. Habet alia conſultatio illa, ut refertur à Launoyo ipſo, quæ perſuadeant contrà, ac vult ipſe, Pontificem ſenſiſſe de Authoritate ſuâ: ſed quid his immorer; quando de conſultatione ipsâ res eſt parum teſtata? Unum Lector animadvertat, quàm valida Pontificum teſtimonia adverſus ipſos Pontifices videatur collegiſſe Launoyus, quando illis miſſis Aſſertor Inſtructionis famoſus ſatius judicavit, tamquam Pontificiâ plenum Authoritate objectare Adriani Florentii errorem.

III.

Honor ſuus vindicatur Innocentio X. Alexandro VII. & Clementi IX. Summis Pontificibus adverſus contumelias famoſi ſcriptoris Anonymi.

FAmoſas vindicias ſi cum Inſtructione conferas, facilè animadvertes, ad Inſtructoris ingenium belle nimium eſſe factum Authorem vindiciarum: illius hic nutus obſervat omnes ſuperſtitioſè. Tum verò ſi quid innuit Inſtructor, ille exequitur largiter, atque in iſtam partem amat peccare potiùs, ut abundaſſe officio videatur, quàm defuiſſe.

Lucubrationi ſuæ, ut vidimus, inſperſerat quiddam Inſtructor de Quæſtione facti obnoxiâ errori Eccleſiæ ipſius. Satis hoc erat nutus famoſo Inſtructoris Armigero, ut illam Eccleſiæ Authoritatem non abjudicaret ſolùm, ſed abjiceret fœdiſſimè, & conculcaret. Altiùs aliquanto nobis repetenda res eſt.

Nemini eſt ignota Innocentii X. Papæ graviſſima Conſtitutio Propoſitiones quinque ut hæreticas damnantis *p*. Ac ne ea quidem, quam Alexander Pontifex VII. *q* edidit, Conſtitutionem Innocentii *confirmans, approbans, innovans, & quinque illas Propoſitiones ex libro Cornelii Ianſenii, cui titulus eſt Auguſtinus excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe definiens, & declarans, & uti tales inuſtâ ſcilicet eâdem ſingulis notâ &c. iterum damnans.*

p Conſtit. *Cum occaſione.*
q Conſtit. *ad Sacram.*

nans. Nota quoque altera Pontificis ejuſdem Conſtitutio [r] rogatu Epiſcoporum, & Chriſtianiſſimi Regis Galliarum certam præſcribentis formulam, quâ in Regno iſto Eccleſiaſticus Ordo univerſus *Propoſitiones quinque ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen* Auguſtinus, *excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſyncero animo rejiceret, ac damnaret, & ita juraret, ſic me Deus adjuvet* &c. Alexandro VII. Succeſſor Clemens Papa IX. Deceſſorum Pontificum veſtigiis ſic inſtitit, ut *nullâ exceptione, aut reſtrictione admiſſâ* [s] integram ſynceramque Alexandri Papæ mandato obedientiam vindicaret.

[r] Incipit. *Regiminis Apoſtolici.*

[s] Litt. Apoſt. ad Epiſc. Andegav. Bellovac. &c.

Hîc verò mecum Lector diſpiciat, quid honoris habuerit Innocentio X. Alexandro VII. Clementi IX. Summis Pontificibus famoſus ſcriptor. Parum erat Chriſti Vicariis Doctoribus propoſitiones quinque damnantibus *in ſenſu ab Authore intento* fidem non habere: doctrinæ ipſius Authoritatem ſupremam irriſit, exſibilavit. En ſpecimen: *Quo enim*, inquit, *illa* FUTILIUM ET TOTIES CONVULSARUM *de Pontificis Romani ..... in fidei, &* (QUOD VIX SIBILO MERETUR EXCIPI) *facti etiam quæſtionibus decernendis infallibilitate aſſertionum farrago*? Facti propoſitiones eas intelligit, quas hodie vulgò nuncupant, tractaveratque Author Diatribæ, eaſque adeo, quas ſupremæ Authoritatis ſententiâ dijudicandas ſibi ſumpſêre Pontifices Romani propoſitiones quinque damnantes *in ſenſu ab Authore intento*. Iniquitatis filii, quos appellat Alexander Papa [t] tergiverſantes, ne Propoſitiones quinque execrarentur præſcriptâ formulâ, non uſque eò ejecêre ex animo venerationem Summorum Pontificum: petiêre ut defungi liceret *Venerabundo ſilentio*. Noſter ille verò Authoritatem tantam non ſolùm non veneratur, ſed exſibilat, atque hoc ipſum cenſet honoris eſſe nimium; *Vix ſibilo*, inquit, *meretur excipi.*

[t] Conſtit. *Ad Sacram.*

Hæc profectò ſunt ejuſmodi, ut nulla ſit oratio, quâ liceat aſſequi atrociam contumeliæ. Eſt enim verò *ſibilus* ille non *auræ tenuis* [v] ſed *acuentis linguam ſuam ſicut ſerpentis* [x]; ut mihi omnino ſequendum hoc loco videatur S. Proſperi conſilium [z] *hujuſmodi hominum pravitati, non tam diſputationum ſtudio, quàm Authoritatum Privilegio eſt reſiſtendum*, planèque hujus generis impietas non rationum momentis revincenda (cui enim rationi auſcultet exhauſto rubore è ſuis tenebris ſibilos mittens in Chriſtum Domini?) ſed, quod de Juliani perfidiâ Romæ convictâ *apud Apo-*

[v] 3. Reg. 19.

[x] Pſal. 139.

[z] Contra Collat.

ſtolicam ſedem pronuntiabat Auguſtinus [a] *Coërcenda poteſtatibus Chriſtianis.*

[a] Lib: 2. Oper: impeif. c. 103.

Quò te præcipitem egit Inſtructoris tui amor, hominum, qui vivunt, confidentiſſimè? Hæc tu auſus in eam Authoritatem, quam Catholica Eccleſia, & olim venerata eſt, & hodie veneratur univerſa? Galliam appellabis. Scis, ſcis ipſe ſacros Gallicani Regni Ordines præeuntibus Antiſtitibus univerſos, *nullâ exceptione, aut reſtrictione admiſsâ* [b] præſcriptis verbis juraſſe in Conſtitutionem Alexandri Pontificis Propoſitiones quinque damnantis *in ſenſu ab Authore intento.* Scis itidem illum ipſum, qui tibi hos animos facit, non fuiſſe exemptum communi lege, & multò ante graviſſimo Sorbonæ judicio [c], ni *ejuraret falſam & peſtilentem doctrinam* eam ipſam, quæ te ad hæc egit præcipitem, ab ipſius Sorbonæ *ſinu, atque corpore repulſum, expunctum, reſectumque* fuiſſe: ſcis judicio eodem decretum fuiſſe, *ut nemo poſt hac, aut è Doctoribus ad comitia, aut è Baccalaureis ad ullos actus Theologicos, aut è Theologia candidatis ad reſpondendum admitteretur, niſi ante huic cenſuræ ſubſcripſiſſet.* Galliam mittamus.

[b] Litt: Apoſt. Clem. IX ad Epiſc. Andegau. Bellovac. &c:

[c] Cenſura in libell. ſeconde lettre de Mons. Arnauld. &c. 1 feb. 1656

Hæccine tu auſus in eâ Provinciâ, cujus Religioſiſſimi Principes, Integerrimi Antiſtites, omnes denique Ordines, ſummorum Pontificum decreta Propoſitiones quinque condemnantium *in ſenſu ab Authore intento* libentibus animis ſuſcipientes Authoritatem Pontificiam in facti quæſtione, quam tu vocas, venerati ſunt?

Hæccine auſus denique ad eos Academicos, quibus fas non eſt, gradum facere Theologicum, niſi promiſsâ, & juratâ religioſâ obſervantiâ Conſtitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. Pontificum Propoſitiones quinque proſcribentium *in ſenſu ab Authore intento,* atque hoc pacto liberatâ Magiſtrorum fide, qui plenâ pietatis epiſtolâ ad Alexandrum Papam id ſe curaturos receperant, teſte Alexandro ipſo [d]? Infelix! *ſcandalum, & læſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ pertulerunt* Belgio toto: quid ni enim in te pronuntiem, quod in Dioſcorum hoſtem Pontificum vibrarunt Chalcedonenſes Patres [e]? ſed tu caligine tuâ te involvens, ac ne nominis quidem tui lucem, candoremve ſuſtinens, *poſuiſti immunditias tuas in corde tuo, & ſcandalum iniquitatis tuæ ſtatuiſti contra faciem tuam: numquid interrogatus reſpondebo tibi* [f]? Reſpondi Inſtructori. Videamus verò, ſitne aliquid quò ſeſe efferat altiùs iniquitas tua.

[d] Litteris Apoſt. ad Facult. Theol. Lovan. 17. Auguſti 1660.

[e] ſyn: Chalc. Act. 3.

[f] Ezech. 14.

IV. *Faſti-*

IV.

Faſtigium iniquitatis Innocentio X. Alexandro VII. Clementi IX. Pontificibus Maximis non ſolùm detraxiſſe authoritatem iudicandi de ſenſu Authoris Scriptoriſve hæretico, ſed & pudendum errorem impegiſſe.

FILI INIQUITATIS (monet enim iam res ipſa, ut eo te compellem nomine, quod factioni tuæ indidit Alexander Papa VII. *g*) documentum dediſti inſigne, verum eſſe, quod aiunt, *in lubrico eſſe vitia*, ſemelque incitata ruere, animumque victum præcipitare miſerabiliter. Detractâ ſummis Pontificibus, fœdèque proculcatâ Authoritate falli neſciâ in ferendo judicio de ſenſu hæretico ſcriptoris, ſcriptioniſve, quid te ſuſtineret, ne IESU CHRISTI Vicariis doctoribus errorem impingeres pudendum etiam vulgari Theologo? Propoſitiones quinque damnarunt illi de hæreſi eo acceptas ſenſu, quem Pſeudo Auguſtinus contineret: hoc de ſe, hoc de Innocentio Deceſſore ſuo declaravit Alexander Papa *h*. Tu verò ſupremorum in hiſce controverſiis Iudicum Iudex ſuperior, quid cenſes? *Illuſtriſſimus*, inquit *i*, *Præſul Iprenſis hoc uno argumento expugnandus erat, quo demonſtraretur, non in Catholicâ veritate, ſed Auguſtini ſententiâ aſſerendâ cecidiſſe: neque enim ego (inquit incomparabilis doctor) quid verum, aut falſum, quid tenendum, aut non tenendum in Catholica Eccleſia Doctrinâ tradidi, ſed quid Auguſtinus tenendum aſſeruerit, ac docuerit. Verùm cum id confici poſſe iure deſperaretis*, IMAGINARIAS ALIQUAS PROPOSITIONES PROCUDI OPORTUIT, QUIBUS RES PURA PUTA FACTI *devolveretur ad quaſtionem juris.*

g Conſtit: *Ad ſacram*

h Ibidem

i Inſtruct: vind. pag. 25.

Fatebor Lectori, non perveniſſe ante hoc tempus ad animum meum atram ſuſpicionem, vivere hominem in Belgio tam profligatæ pietatis in Apoſtolicam ſedem, ut vel celato nomine hæc effutiret invidiæ tam flagrantis, tam nullo pudore, contumaciâ tam apertâ: certè quidem à quo tempore ſuum de Quinque Propoſitionibus judicium publicavit Alexander, non

memini ad manus meas pervenire paginas Scriptore Belgâ tam fœdis hujus generis notis illitas. Singula videamus.

Hoc uno argumento expugnandus erat, quo demonſtraretur non in Catholicâ veritate, ſed Auguſtini ſententiâ aſſerendâ cecidiſſe. Hæc illa eſt cantiò, quâ nulla fuit annis ſuperioribus frequentatior, nulla ſæpius convicta. Primùm quidem neceſſe eſt, qui neſciat hoc demonſtratum eſſe ſæpius, atque abundè, eum aut non legiſſe, quibus hoc actum eſt, libros, aut non intellexiſſe. Aio deinde, neque dubium id eſſe poteſt tibi, ſi demonſtratum eſt, lapſum eſſe de Catholicâ veritate Præſulem tuum, liquere pariter, non ſtetiſſe in aſſerendâ Auguſtini ſententiâ: licuit ergo & hac, & illâ viâ illum adoriri.

At ille, *non quid tenendum; ſed quid Auguſtinus tenendum aſſeruerit, tradidit.* Quid ergo? Non id ille tenendum cenſuit, quod Auguſtinus aſſeruit tenendum? Haud paulò plus Auguſtino ille tribuit, quàm tu Romano Pontifici. Quid enim? CERTI, INQUIT [k], IN AUGUSTINO SUMUS, *quod, ubi aliquid tamquam verum, ſive hæreticos refellendo, ſive Catholicos inſtruendo incunctanter affirmat, de perſpectâ ei veritate, quamquam nobis fortè ignotâ, nec ſatis intellectâ*, SECURI ESSE DEBEAMUS: Abundat hoc genere liber, quem Prœmialem nuncupat: neque illa obſcurabit, quod aſperſum eſt Epilogo, fuci quiddam. Quamquam & in Epilogo ſic gratulatur ſibi, ut ſe dicat *filum doctrinæ cœleſtis ſecutum*. Denique ut merum Auguſtini interpretem egiſſet, interpretem expugnarunt tam illi, qui demonſtrarunt alienas à Catholicâ veritate ſententias Auguſtino tributas, quàm qui alienas ab Auguſtini mente; imò expugnarunt illi efficacius; quippe qui demonſtrarint eâdem operâ etiam id, quod hi.

[k] Lib: prooem: c. 28.

Quid plura? vin' me loqui planè? Non eſt eadem Doctoris veſtri doctrina, quæ Auguſtini, vel ſi mavis non eſt ille Auguſtini mentem interpretatus aptè: ac, ne cavillationi ſit locus, per me licet, ut cum ejus nomino doctrinam, tu interpretationem intelligas. Non eſt eadem, inquam: quia wicleffi, Lutheri, Calvini, & eorum gregum, quos hi duxerunt, non eſt eadem doctrina, quæ Auguſtini: Atqui demonſtrata res eſt [l], univerſam Novi Auguſtini fabricam ex illâ colluvie materiam accepiſſe & formam, ſurreptis nullo plagii pudore ex illorum penu, præter verba prope eadem doctrinam exprimentia, etiam rationibus, Scripturæ, Patrumque teſtimoniis, exemplis, ſimilitudinibus, effu-

[l] Apud Richard de lib: Arb: alioſque

effugiis, calumniis. Res oculis ipſis ſubjecta eſt toties, & tam
perſpicuè, ut faſcino vinctos eſſe oporteat, qui non viderint.
Vidit Calvini Miniſter Groninganus Samuel Mareſius in Proœ-
mio ad ſuam Catechiſmi Ianſeniani de gratiâ latinam verſio-
nem, ubi & gratulatur ſibi plurimùm de novâ ad Calvini partes
acceſſione Ianſenii operâ, & præclaris extollit elogiis Ianſenium
inprimis, tum Sancyranum Abbatem, Arnaldum, Mauguinum.
Vidit deinde idem ille in eo libro, quem inſcripſit *Apologiam
noviſſimam pro S. Auguſtino, Ianſenio & Ianſenitis, contra Pontificem,
& Ieſuitas.* Legiſtine, quam habet liber, præfationem ad *Eru-
ditos illos viros* factionis tuæ? Quàm magnificè extollit *Heroas*!
quàm bellè iisdem plaudit, atque *Euge* ſucclamat! Etenim *Nec
minus*, inquit, *noſter Auguſtinus in tuis controverſiis, quàm veſtri* Ianſenii.
*Eandem bene agendi in naturâ lapſâ impotentiam agnoſcimus .... Eam-
dem gratiæ medicinalis Prædeſtinatione divinâ præparatæ efficaciam, &
infallibilitatem propugnamus: eamdem liberi, & neceſſarii amicam
conjunctionem in actibus humanis defendimus*; Sed ille finem neſcit.
Vidit denique, & prædicavit conſenſionem eamdem Ioannes — m In ora-
Henricus Ottius de Calvini Scholâ Tigurinus Miniſter *m*. vidit — tione de
articulorum Montpeſſulani Conventiculi buccinator *n*. viderunt — causâ Ian-
alii. Nos pergamus. — ſenitica

n Epiſt: ad Reformatos 9. May 1654.

Verùm inquis, *cum id confici poſſe iure deſperaretis*, IMAGINARIAS
ALIQIIAS PROPOSITIONES PROCUDI OPORTUIT, *quibus res pura
puta facti devolveretur ad quæſtionem juris.*

Hæc illa ſunt, quæ indigitabam noſtratum calamis inuſitata;
ſed famoſo ſcriptori infamibus exterorum libellis paſto familiaria
pridem: quid ille ructaret, niſi *imaginariam hæreſim* à Damvil-
lerio *o*; quid niſi *monſtra hæreſum imaginaria* ab Arnaldo ſuo ador- — o Lib. *les*
nata *p* ad contumeliam ſummorum Pontificum? *Imaginarias pro-* — *Imaginaires*
poſitiones procudi oportuit. Si quis ambigit hæc legens, quid ve- — p 2 Lettre
lit, hæc ejus eſt oratio: Meram Auguſtini Doctrinam tradide- — Pag 120.
rat meus *Doctor admirabilis* Corn: Ianſenius: convelli non pote-
rat Auguſtini Doctrina: certum tamen erat Galliarum Epiſco-
pis ſævire in Ianſenium: procuderunt igitur *Imaginarias Propoſitio-
nes* quinque: has cum neque Janſenii eſſent, neque Auguſtini,
obtrusêre Pontificibus Romanis turpiſſimè imponentes è Ianſe-
nii libro excerptas eſſe: ſimplices Pontifices decepti, inducti-
que Epiſcoporum impoſturis *Propoſitiones* damnarunt *imagina-
rias*, hæreſim putantes, quæ in Ianſenii libro ineſſet, neque ine-
rat tamen.

Eſtne

Eſtne quidquam in oratione iſtâ quod tuum non agnoſcas? ſapientiſſimi ex universâ Galliâ Præſules ampliùs octoginta Propoſitiones quinque tamquam ſuo excerptas judicio è Doctoris tui libro obtulêre cenſendas Apoſtolicæ Sedi. Extat hujus rei teſtis illorum epiſtola ad Innocentium omnibus notis pietatis inſignis. In hunc ergo Epiſcoporum cœtum tam auguſtum cadat neceſſe eſt, quod ais: *Imaginarias propoſitiones procudi oportuiſſe*; hi tibi ſunt Pontificum ſummorum impoſtores, hi ludibriorum fabri, & artifices.

Miſeros verò Pontifices judicio tuo, animisque nimiùm ſimplicibus, qui fraude iſtâ circumveniri ſe ſiverint. Quid enim? Sciveruntne à Doctoris tui libro abeſſe Propoſitiones quinquè? Tum verò neceſſe ſit, ipſos Vicariâ Chriſti abutentes authoritate, Eccleſiæ fidelium univerſæ impoſtores fuiſſe, ſummoque Sacrilegio mentitos, cum declaraverunt è Petri Cathedrâ hæreticas eſſe Janſenii propoſitiones. Molliora, quæſo te, auribus noſtris: circumventos, miſerèque luſos dic potiùs, tum verò & ſtolidos, qui eâ cauſæ diſcuſſione adhibitâ, *quâ major deſiderari non poſſet q* non viderint, quod tu vidiſti.

q Teſte Alex. VII. Conſtit. ad Sacram.

Sed quàm planos homines, impiosque, vel excordes nobis facis eos Theologos, quos in conſultationem advocarunt Pontifices! Etiamne hos cenſes operam dediſſe Gallicanis Epicopis, qui *Propoſitiones* procudêre *imaginarias*? quâ autem ſpe corruptos? Magis eſt, ut credam, fuiſſe illos judicio tuo excordes, qui Auguſtino Doctoris tui non intellecto, id in eo legerint, quod non inerat, imaginemque pro re viderint.

Bellam verò Comœdiam in arce Vaticanâ, & Pontificiâ dignam Majeſtate actam cenſes. Acceptis è Galliâ propoſitionibus quinque Innocentius Papa cœtum cogit Emin. Cardinalium, & Theologorum ex omni ordine Præſtantiſſimorum: enuntiat r *Occaſione impreſſionis libri, cui titulus* AUGUSTINUS *Corn. Janſenii, inter alias eius opiniones, ortam fuiſſe præcipuè in Galliis controverſiam ſuper quinque ex illis: cordi ſibi eſſe ſedare tempeſtatum fluctus, & procellas. Eaſdem quinque Propoſitiones facit ſingillatim diligenter examinari, earumque in Sacrâ Theologiâ Magiſtrorum ſuffragia cum voce, tum ſcripto relata maturè conſiderat, eosdemque Magiſtros variis coram ſe actu Congregationibus, prolixè ſuper eisdem, ac ſuper earum quâlibet differentes audit. Cum autem ab initio huiuſmodi diſcuſſionis ad divinum implorandum auxilium, multorum Fidelium preces tum* pri-

r Quæ intelligas ex Conſtit. *cum occaſione* quam poſt edidit

privatim, tum publicè indixiſſet, poſtmodum iteratis eiſdem ferventiùs, ac per ſe ſolicitè imploratâ Spiritus Sancti aſſiſtentiâ, tandem divino Numine favente ad declarationem, & definitionem devenit; quâ ſcilicet Eccleſiam docet Univerſam, hæreticas eſſe quinque Propoſitiones Cornelii Janſenii. Ibi verò ſedatum iri tempeſtatum fluctus augurabatur Pontifex: at tu, ut in actu Comœdiæ poſtremo, rides ſcilicet, atque inani ſpecie, & Phantaſmate, unà cum Theologis, luſum Pontificem exclamas, neque hæreſim Janſenii damnaſſe, ſed *monſtrum hæreſeos imaginarium.*

Non fert Alexander Papa VII. Te tuoſque, ut *Iniquitatis filios* redarguit graviter: *ſ* Se teſtatur *Innocentii juſſu omnibus illis congreſſibus interfuiſſe. Quinque illas Propoſitiones in ſenſu à Corn. Janſenio intento damnatas fuiſſe definit, & declarat, & uti tales iterum damnat &c.* Quid tu ad Authoritatem tantam? *vix ſibilo*, inquis, *meretur excipi. t* *ſ* Conſtit. ad Sacram.

Mihi, fateor, hîc quidem in diſputatione ſpes nulla eſt poſita: ea potiùs tenenda ratio, quæ Auguſtino placuit libro de quinque hæreſibus *u* pagani blaſphemiam redarguenti: *Ab Allophilo*, inquit, *Telum miſſum excepimus, quid remittimus? Quodlibet miſerimus telum, licet perveniat ad illum, nihil prodeſt. Quare? quia durus eſt, quia lapideus eſt .... Quæramus ergo lapidem, quo percutiatur, ut percuſſus quaſſetur, quaſſatus comminuatur &c.* Tum verò ori prophano, duroque prophanum impingit teſtimonium ex libro Hermetis, ſeu Mercurii cujuſpiam. Tentemus & nos. *t* Inſtruct. vindic: pag 3. *u* Cap. 3.

Imaginarias Propoſitiones damnavêre Pontifices. Scis quantis Authoribus probare queam *imaginarias* non eſſe? Illis ſanè, quos tibi oportet eſſe ſummos, quia doctoris tui tam amicos, quàm es tu. Sed tibi, Lector, tempora diſtinguenda: non erant imaginariæ Propoſitiones, cum diſputabantur in Galliâ, nondum etiam dijudicatâ ab Innocentio causâ, hâc judicatâ, factæ ſunt imaginariæ: illud eſt oſtenſum ſæpe, ſed & huic noſtro impingendum eſt.

Erant prorſus, iniquitatis filii, tuarum partium illi qui anno 1649. librum evulgarunt inſcriptione hac; *Propoſitiones de gratiâ in Sorbonæ facultate propediem examinandæ*: has inter propoſitiones priores. quinque erant ipſæ, quæ ſubinde Pontificium fulmen ſenſerunt. Ad primam è quinque hæc lego *i*: *Veniamus ad Ianſenium, etiam expendamus, quo ille intel-* *i* Pag. 10.

lectu

ctu poſitionem hanc uſurparit. Iuſtis omnibus volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, mandata aliqua impoſſibilia ſunt, & iis deeſt gratia, quâ poſſibilia fiant. *Habetur ea apud hunc Authorem lib. 3. de gratiâ Salvatoris Cap. 13. ..... ſolidiſſimis argumentis, & ſaniſſimo ſenſu adducta, & conſtabilita.* Ad Secundam Propoſitionem è quinque; *Interiori gratia* &c. Hæc
k pag. 16. leges [k] *Accedat modò Antiſtes Iprenſis. Aſſerit ipſe, & explicat ex profeſſo propoſitam theſim lib. 2. de gratiâ Salvatoris, eamque firmat ſolidiſſimè.* Iiſdem veſtigiis fit progreſſus ad propoſitiones cæteras: vindicantur ſingulæ Janſenio. In proœmio ipſo hoc ſtatuitur generatim, ſpectandas eſſe propoſitiones, *ut in Ianſenii Auguſtino jacent, vel quoad verba, vel quoad verborum vim, ac ſententiam.* En quantâ probem authoritate, non eſſe imaginarias propoſitiones: Janſenio illas vindicarunt Janſeniani pridem.

Non erant *imaginariæ propoſitiones*, cum ad Pontificem factionis nomine legati viri libellum obtulêre columnis tribus diſtinctum, quarum, quæ erat media, ſenſum continebat cujuſque propoſitionis *germanum, propriumque*, &, ſi placet, Auguſtini. Columnis ut baſim poſuêre confeſſionem illuſtrem ipſo principio; *De propoſitionibus autem non in ſenſu alieno, ad quem trahi poſſunt, quique à nobis reſpuitur; ſed in ſenſu legitimo, qui à nobis defenditur, atque adeo de fide Catholicâ in iis contentâ, controverſia eſt.* Mox verò mediam è Columnis tribus ſic inſcripsêre. *Prima Propoſitio; ut à nobis defenditur.* Tum poſtea expoſitionem Propoſitionis ſic excepêre: *ſuſtinemus, ac demonſtrare parati ſumus, hanc propoſitionem ad fidem Eccleſiæ pertinere &c.*

His conſentanea dederunt fere cæteri malæ cauſæ Patroni, Author libri de victrice gratiâ, ejuſque Approbatores ſex: aliuſque libri cui titulus *Memoire ſur le deſſein &c.* Itidemque alius libri hoc titulo *Eclerciſſement ſur quelques nouvelles objections.* Ipſi deploratæ cauſæ Patroni quatuor fervente Romæ judicio, quid paucis ante ſententiam diebus ipſo coram Innocentio Pontifice proteſtati ſunt? *defendere ſe, ac defenſuros eſſe per omnem vitam Propoſitiones quinque in ſenſu legitimo, quem habent, tamquam continentes S. Auguſtini doctrinam indubitatam; adeoque Eccleſiæ ipſius.* Teſtata hæc, atque id genus alia, certiſque impreſſa notis veritatis tenemus. Rem miram! quæ Propoſitiones erant res quædam ſolida, ſuccus ipſe, & medulla Auguſtinianæ doctrinæ, priuſquam tonaret è Vaticano monte, eædem illæ ad primum inde,

ſonitum, ne fulmen ſentirent, imaginariæ ſunt factæ, inaniſque ſpecies, umbra, ludibrium.

Licetne, quod ſentio, eloqui? licet. Dii quidam miri ſunt illi: Propoſitiones quinque de ſolidis fecerunt imaginarias: ne contrahe frontem, Lector; facilè commutaverint eaſdem, cum erit opportunum: facient ex imaginariis, ſolidæ ut ſint, omnibus iiſdem expreſſæ verbis: hac ſpe de ſolidis fecêre imaginarias. Præſtabit, quæ loquor, gravis Author Sorlinus *l* in eo libro, quo Galliarum Regi malas artes detexit ſectæ contumacis, teſtes eos appellans, qui nuper & ipſi partiarii adhibiti erant ad conventum Pariſiis celebrem, in quo recens damnatis ab Innocentio Propoſitionibus, cum *m aliι ſtatuerent uſque ad mortem tuendas eſſe, alii decreverunt tempori cedendum, & ſimulato aſſenſu, in eo quod ad jus attineret, de eo diſputandum, quod facti eſſet, ſuſtinendumque alios ſenſus potuiſſe Ianſenium habere, donec veniſſet tempus renovandi quaſtionem juris.* Non eſt obſcurum quibus dictantibus exciderit feminea vox: *Les cinq Propoſitions ne ſeront pas touſjours malheureuſes.* Hæc atque hoc genus alia litteris conſignarunt Catholicæ fidei tenaces viri eo tempore, quo erant recentia, iis appellatis teſtibus, qui interfuerant, qui coram acceperant, qui & pars ipſi rerum fuerant, adirique poterant à quolibet. Parum me delectat horum commemoratio; ſed Auguſtini exemplo lapis hic fuit impingendus ori duro: *n Non tibi meos Authores profero: tuus eſt Mercurius:* tui ſunt Authores *columnarum trium:* tui, qui Romæ pro Doctore tuo cauſam dixerunt: tui quos alios induxi: *Ipſos audi, ipſi te convincant, ipſi expugnent, ut cum te vicerint: illis cedas, & mihi credas.*

l Reſponçe à l'inſolente Apologie.

m Ibid. in præfatione.

n Lib. de quinque Hæreſibus c. 3.

V.

Deteſtanda lectori proponitur quædam errorum ſumma, quâ famoſus Author vindiciarum authoritatem falli neſciam abrogavit ſimul Romano Pontifici, ſimul Conciliis Generalibus, & Catholicæ Eccleſiæ.

PRoponitur, inquam, deteſtanda: eſt enim res ejuſmodi, ut ſolâ ſui propoſitione indigeat, quo deteſtabilis evadat. Pau-

cis complexus eſt omnia. Extra Scripturas ſacras, nihil uſpiam eſt decretorum fidei, cui fidere liceat: non Romanorum Pontificum, non oecumenicorum Conciliorum Sanctiones, non Sanctiſſimi tot Patrum Eccleſiam omnem repræſentantium canones, quibus & Fides Catholica aſſerta, & Hæreticorum perfidia tam multiplex, locis, temporibusque tam diverſis, perculſa, & profligata: nihil habent firmi illa omnia: errori, vanitati, ludibrio obnoxia ſunt universa, ſi prophano famoſi Scriptoris effato ſtandum eſt.

Patere, Lector, priusquam proponam rem ipſam, quiddam me annotare de Magno Eccleſiæ Doctore Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo, quod mihi aſſentiri eos omnes oportet, qui vel Auguſtinum, vel Eccleſiam venerantur. Eſt omnino Auguſtinianæ doctrinæ tantum pondus, ac momentum, ut, qui eam parvi pendat, illum ego cenſeam non ſolùm Theologi nullum numerum obtinere, ſed & in Eccleſiam ipſam parum pium, cui videlicet Auguſtini ſcripta quoddam ſunt armamentarium publicum omni genere machinarum, telorumque Inſtructiſſimum, è quo iam olim Romani Pontifices, & Concilia ſibi cenſuerint arma petenda ad retundendos Hæreſeon omnis generis impetus nefarios. Attamen prohibeant ſuperi, ne, quæ adverſus omnem perfidiam, arma Eccleſiæ cudit Auguſtinus, ea hæreticorum more in Eccleſiam impiè convertam, & Auguſtinum Eccleſiæ ipſi anteponendum putem. Accepit ab Eccleſiâ, Romaniſque Pontificibus Auguſtinus pondus illud authoritatis ingens, quod apud nos obtinet, ſed neque univerſa ejus Scripta, ac ne ea quidem, quæ in causâ fidei diſputavit, ſic approbavit Eccleſia, ut ſupremum authoritatis momentum adjunxerit effatis ſingulis: quænam ea ſint, Diatriba explicuit: *o* Oſtendit quoque Auguſtino haud placituram rem eos moliri, qui de ejus authoritate ſentiant quiddam Romano ipſe Pontifice, aut Eccleſiâ ſublimius: ne Evangelio quidem credebat ille, *niſi Eccleſiâ Catholicæ commovente authoritate p.* Si quâ incidebat controverſia gravior, ille aut Generalis Concilii ſententiam ſtatuebat expectandam *q* aut conſulendam Apoſtolicam ſedem *r* atque hæc quidem explorata ſunt.

o Diat. n. 482.

p Cap. 5. contra Epiſt. fundam.

q Lib. 2. contra Epiſt Parmen. cap. 13.

Accipe nunc, quam promittebam errorum ſummam paucis concluſam verbis, atque his fere ipſis.

AUGUSTINUM SECUNDUM SCRIPTURAS PRIMUM VENEROR.

Ne

Ne cavillationi ſit locus ſingulos accipe verborum apices [r] *certè ait neque in Auguſtino, quem ſecundum Scripturas primum veneror: hunc mihi laqueum injici patiar.* Scripturas hic ego eas intelligo, quas ſolemus ſimpliciter poſito nomine: quid enim in eo dubitem? de Auguſtino dubitare queam, num Hipponenſem intelligat, an Iprenſem: cauſas dubitandi ſupra expoſui, ſed nos verò intelligamus, Hipponenſem eſſe nominatum, ne quem ſubeat ſuſpicio augendæ invidiæ operam eſſe datam.

En ergo paucis verbis abrogatam authoritatem falli neſciam tot ſimul fidei decretis, quæ ab Oecumenicis Conciliis, quæ à Chriſti Vicariis Magiſtris ſupremis, Pontificibus Romanis accepta pro intemeratis habet, veneraturque omnis Eccleſia. *Auguſtinum ſecundum Scripturas primum veneratur*: poſtponit ergo Auguſtino & Pontifices pro Chriſto Eccleſiam docentes, & Eccleſiam ipſam in generale Concilium coactam: atqui non eſt nulli obnoxius errori Auguſtinus: hoc de ſe inculcat nobis Auguſtinus perſæpe, [t] hoc de Auguſtino fatetur famoſus ipſe Scriptor: *diſce*, inquit [v] *nullo Seculo non licuiſſe diſſentire alicubi à quamlibet probatis authoribus. Certè, neque in Auguſtino, quem ſecundum Scripturas primum veneror, hunc mihi laqueum injici patiar (nec ille velit) ut ad omnes illius apiculos, quibus de Philoſophicis diſſerit, per fas, ac nefas propugnandos pertinaciter obrigeſcam.* En igitur, præter Scripturas, obnoxia errori decreta fidei omnia. Credulus nimium Gregorius Papa ſummus, qui *ſicut Sancti Evangelii quatuor libros*, Sic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari ſe fatetur: [x] credula, turpiſſimèque diluſa Chriſti Eccleſia: ſuis ipſe votis deluſus Chriſtus, [z] cum & non defecturam fidem rogavit Petro, ejuſque ſucceſſoribus, & iſto *non defutura fidei* fretos inſtrumento juſſit eoſdem confirmare fratres ſuos. Quid denique reſtat, niſi ut ad eos abeamus faſtidioſos, qui controverſiarum fidei judicem, qui vivat, omnem aſpernantur.

Ne Auguſtino quidem judice, ſi quæſtio inciderit Philoſophica, ſtare vult ille: hic ſaltem errori obnoxium cenſet. Quid verò alibi? Fortaſſe dicet omni exemptum erroris periculo. Sed unde illa Auguſtino authoritas? ab Eccleſiâ quidem eſſe non poteſt: nam hæc ſanè Auguſtini Scriptis dare non potuit plus aliquid, quàm decretis ſuis; non ergo, ut ſecundum Scripturas primum obtineat locum. Somniaſſe ergo oportet famoſum Scriptorem, Auguſtino Spiritum Sanctum ſic adfuiſſe ſcriben-

[r] Vide Aug. Epiſt. 92. 106 & Innocentii Epiſt. inter Auguſtianas 93.

[s] Inſtruct. vind pag. 18.

[t] Epiſt. 7. ad Marcellin. lib de dono perſev cap. 2. & alibi.

[u] Inſtruct. vind pag. 18.

[x] cap *Sicut Sancti* diſtinct 15.

[z] Luc. 22.

ti, uti credimus vel canonicis Scriptoribus adfuiſſe, vel ipſi Eccleſiæ decreta fidei ſcribenti. Tum verò mirandum, S.Doctorem inveniſſe, quod ſibi diſpliceret in Scriptis ſuis, & ejiciendum putaret. Non ſubeunt hoc genus correctionis Eccleſiæ, aut Pontificum Sanctiones in Fidei controverſiis. Sic Honorium monens Dalmatiæ Epiſcopum Gelaſius, ne Pelagianam Hæreſim à tot Pontificibus damnatam pateretur reviviſcere, obſervavit: *Numquidnam, ait, licet nobis à venerandis Patribus damnata diſſolvere, & ab illis exciſa nefaria dogmata retractare? .... An fortaſſe neſcitis hanc hæreſim, de quâ loquimur ab Apoſtolicâ dudum ſede per Beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zoſimum, Bonifacium, Celeſtinum, Sixtum, Leonem continuis & inceſſabilibus Sententiis fuiſſe proſtratam?* Non mutantur, non obliterantur quæ ſtylo adamantino, dictante veritate æternâ, ſcripſit Eccleſia, aut JESU Chriſti Vicarius cauſarum fidei arbiter Romanus Pontifex. Mutanda, atque obliteranda è ſuis decretis quædam cenſuit Auguſtinus: non ergo exiſtimavit dictante Spiritu Sancto illa ſe exaraſſe: neque eſt omnino, quo illum liceat ſecundum Scripturas primum venerari.

Non ſum, quem delectet quæſita ſtudioſè accuſationis materia: conatus ſum, fateor, perſuadere mihi, præcipiti calamo, atque ignoſcendâ homini imprudentiâ excidiſſe breve iſtud; *Auguſtinum ſecundum Scripturas primum veneror.* Verùm ut non potuerim omnino hoc à me vincere fecit ipſe: neque eſt cur me cruciem, ut quid benignioris ſenſus aſſignem Scriptioni tot nominibus infami: Scriptorem tam effrænem cohibere ſe ne in voragines ruat, haud multò eſt facilius, quàm ſuſtinere ſe, cum velit, qui ſe è leucade præcipitaverit.

VI.

Vindicantur à calumniis Famoſi ſcriptoris Romanorum Pontificum veneranda judicia de doctrinâ, & moribus Societatis IESU.

MEmoriâ celebratur vox nefaria perditiſſimi hominis de grege iſto, quem ſequitur Famoſus Scriptor, *Aut perdemus Eccleſiam, aut perdemus Ieſuitas.* a Eccleſiam non perdent, non ſi portas inferas ſolicitent: ſed neque Jeſuitas; niſi cum habebunt

a Raynaud. opuſc. Arnaldus de Brixia V.

bunt amicos, & conſentientes adverſus Eccleſiam. Sed mihi decretum eſt, nec tantillam Apologiæ hujus particulam Ieſuitis dare, quantula eſſet opus ad ea confutanda, quæ ex Molinæi Calviniſtæ promptuariis accepta pleraque Scriptori famoſo miniſtarunt Vergerius, Arnaldus, Montaltius, Wendrockius cæterique hoc genus Scriptores, quos ille colit impensè. Trita ſunt pleraque, & convicta centies: quæ de ſuo addidit paucula tam puerum redolent, ut ſi maximè Ieſuitis ſtudeam, ſilentio contemnenda ſint. Sed verò non excidat mihi ea Apologiæ ratio, quam inſtitui, & tenui hactenus: Pontificibus ſtudeo Romanis, & Eccleſiæ: Pontificum Romanorum authoritatem læſam graviter etiam hocce loco ulciſci placet.

Viâ potiſſimùm geminâ profundit ſeſe hominis rabies in ſocietatem IESU, à quâ hoc ipſum habet, quod fari poſſit: Priorem viam commonſtrent hæc [b]: Societatis alumnos, ait, *non aliud in tam immania præcipitia tranverſos egit, quàm quod plus æquo ratiocinatiunculis humanis tribuentes, evanuerint in cogitationibus ſuis*, ET OBSCURATUM SIT COR INSIPIENS EORUM, *ut ipſi non ſolùm fecerint ea quæ nō conveniunt, ſed & aliis* PONTEM STRAVERINT AD QUÆLIBET FLAGITIA. Mox verò exaggeratâ populi corruptelâ egregiam hanc laudem ait [c] *Ieſuitis deberi*, QUORUM AB ORTU *Immenſum leviſſimorum ſcriptorum examen, quaſi odioſa veſparum, at tabanorum acies, ſyncero* EVANGELICÆ DOCTRINÆ MELLI INFESTUM *in Eccleſiam involavit.* Præiverat verbis totidem Sancyranus Abbas: ſed non morentur hæc nos.

b Inſtruct: Vindic: pag: 11.

c Ibid: pag: 12.

Animadvertis, Lector, infami ſtylo confixam, damnatamque Societatem, quod jam inde AB ORTU suo Eccleſiæ pernicioſa extiterit, & PONTEM STRAVERIT AD QUÆLIBET FLAGITIA. Campum vides: ſed illum mihi interdixi: violata graviter ſummorum authoritas Pontificum me angit: Pontificum authoritatem more ſuo [d] *exſibilabit* ille: tu venerabere. Indicium accipe ſummi Pontificis, Pauli III. plenâ authoritatis Conſtitutione exprompturm [e]: *Ad Societatem verò* IESU .... *cujus ſpecimen* VELUTI AGER FERTILIS DOMINO *multiplices*, ATQUE UBERES FRUCTUS *animarum ad ſummi Regis laudem, & fidei incrementum attulit, & affert quotidie* VERBO ET EXEMPLO *in populo Chriſtiano, dirigentes quotidie, velut Pius Pater oculos mentis noſtræ, dignum cenſemus, ut ipſam Societatem, ejuſque* IN ODOREM SUAVITATIS ALTISSIMO DESERVIENTES *perſonas ſpecialibus honoribus proſequamur.*

d Ibid: pag: 3.

e Conſtit. *Licet debitum.*

Tantæ authoritati famoſus ſcriptor ſuum illud objiciat: *pontem ſtravêre ad quælibet flagitia*, & quidem *ab ortu ſuo.*

f Iu: A-poſt: *ſacræ Religionis.* Julius audiatur Papa III. *f*: Societatem affirmat *Rejectis ſeculi vanitatibus, gratum Altiſſimo præbere ſub humilitatis ſpiritu famulatum, & ferventibus ſtudiis, per* EXEMPLA VIRTUTUM, ET SOLIDAM DOCTRINAM, *alios ad divina Majeſtatis obſequia trahere.* Suum illud contra ſtatuat famoſus ſcriptor, Societas *ab ortu ſuo Evangelica doctrina infeſta.*

g Conſtit: *Etſi ex debito.* Pium audiat IV. Pontificem *g*: *Illi ſicut nomen Sociorum* JESU *aſſumpſerunt, ita opere,* DOCTRINA ET EXEMPLIS *Dominum N. Jeſum Chriſtum imitari, & ejus veſtigia ſequi nituntur.* Litteras adeat Apoſtolicas ab eodem Pontifice ad Philippum II. Hiſpaniarum Monarcham datas: *Hi enim*, inquit, *operarii licet noviſſimi, ... adeo ſtrenuam tamen, & utilem operam navare cœperunt, ut non modò ſpinas ex eâ, & vepres evellere aggreſſi ſint; ſed ipſam etiam alibi auxerint, & propagarint. Incredibile fere eſt, quantùm tam brevi tempore hic Ordo profuerit; quantùm Eccleſiæ Dei attulerit utilitatis; quàm multa ejus Ordinis collegia, divinâ favente gratiâ, alia aliis in Provinciis inſtituta fuerint,* NON SINE MAXIMO *earum Nationum* FRUCTU ET COMMODO; *quorum diligentiâ alibi fides Catholica confirmatur, alibi hæretica pravitatis peſtis reprimitur; alibi Gentiles, & Idololatræ relicto idolorum cultu ad Chriſti veri Dei cultum convertuntur.* Abrumpo epiſtolam, eſt enim prolixior in eandem ſententiam.

h Conſtit: *Innumerabiles.* Pius verò V. quàm amplis verbis! *Innumerabiles* ait *h* *eſſe fructus quos benedicente Domino Chriſtiani orbi Societas* IESV, *viros* LITTERARUM PRÆCIPUE SACRARUM *ſcientiâ, religione, vitâ exemplari, morumque ſanctimoniâ perſpicuos, multorum* RELIGIOSISSIMOS PRÆCEPTORES, ET VERBI DIVINI, *etiam apud longinquas & barbaras illas nationes, quæ Deum penitus non noverant,* OPTIMOS PRÆDICATORES, ET INTERPRETES *producendo, feliciſſime hactenus attulit.* Auſculta Pontifici Pio V. cui te deceat auſcultare, etſi Pontifex non eſſet, viro Sanctitatis, & doctrinæ famâ celeberrimo.

i Conſtit: *Salvatoris Domini.* Nihilo humilius Gregorius Papa XIII *i*: *Presbyteri venerabilis Societatis* IESV *in vineâ Domini* TAMQUAM FRUCTIFERI PALMITES *in toto fere orbe tam in ovibus diſperſis ...... reclamandis, & defendendis, quàm etiam iis, quæ extra ovile Chriſti ſub ignorantiæ jugo in obſcuris, & tenebricoſis locis ac deſertis aberrant convertendis......: optimum, & uberrimum fructum attulerunt,* ET INDIES MAIORE CUM SOLICITUDINE AFFERRE, *zizania extirpare, bonum ſemen renovare, plantare*

tare ..... non ceſſant. Societas tam utiles, & neceſſarias functiones tum in domibus PER FREQUENTEM POENITENTIÆ, ET EUCHARISTIÆ SACRAMENTORUM *adminiſtrationem ..... tum in Collegiis per lectiones tam bonarum litterarum, quàm* PHILOSOPHIÆ ETIAM, ET THEOLOGIÆ ..... *magno Dei beneficio, & Eccleſiæ ſpirituali emolumento exercet.* Faſtidio ſim, ſi, quæ ſunt alia plurima Gregorii ejuſdem *k*, & aliorum Pontificum Gregorii XIV. *l* Clementis VIII. *m* Pauli V. *n* Gregorii XV. *o* judicia his paria omnino recenſeam: oraculis tantis non dubitavit è caligine ſuâ oblatrare nocturnus graſſator, vel hoc nomine bonorum omnium deteſtatione, atque horrore digniſſimus. Quos Pontifices ſummi *fructiferos palmites, agrum fertilem virtutum, & ſolidæ doctrinæ, viros litterarum præcipuè ſacrarum ſcientiâ, religione, morumque ſanctimoniâ perſpicuos* appellare non dubitarunt, iſte *in immania præcipitia tranſverſos, obſcurato corde inſipientes, Evangelicæ doctrinæ infeſtos*, & quidem AB ORTU ſuo prædicare eſt auſus; dubites convitione majori in viros illos, quàm in Pontifices Maximos Chriſti Vicarios.

Aliâ ſeſe viâ exeruit hominis rabies, quo ſtrictiùs, eò furentiùs, nocentiùſque, ſiquid nocere poteſt illa. Parum fidebat calumniæ tam generali, invidiam revocanti ad primum uſque *ortum*: animadvertebat incredibilia à ſe jactata: eo turbinem convertit, ut *Societatis* AD TUMULUM PROPERANTIS DECREPITUM LANGUOREM improperaret *p*, idque authorem laudans de imperitâ plebe ſcurram à quo ſcriptam eſſe epiſtolam, quam appellat, tam ipſa per ſe loquitur, ut alio argumento non ſit opus. Stantis etiamnum, vegetique Ordinis languorem dum canit ille, vota ſua canit, & quod vult miſer non ſperat ſolùm, ſed videre ſe autumat. Verùm hæc mittamus.

Meminiſti, Lector, ex iis, quæ ſupra dedi, omnibus quidem; ſed illis præcipuè Pontificibus infenſum eſſe famoſum Scriptorem, qui Pſeudo-Auguſtinum damnarunt: his ergo ægrius quiddam facere videtur voluiſſe, Societatis hoc tempore *ad tumulum properantis languorem exprobrando*: non id animadverterant Pontifices ætatis noſtræ, imò neſcio quâ cæci commotione animi vividum quemdam juventæ vigorem, quem *languorem* iſte appellat, rati ſunt; ſuiſque oraculis conſecrarunt.

Urbanum Papam VIII. audiamus *q*: *Societas* JESU inquit *Gentilibus convertendis, hæreticis ad fidei veritatem revocandis,* ET ROMANI PONTIFICIS POTESTATI TUENDÆ, *ex inſtituto ſe totam impendit.*

k Conſtit: *cum ſicut.* Conſtitut: *Aſcendente.* Conſtitut: *quanto fructuoſius.*
l Conſtitut: *Eccleſiæ Catholicæ.*
m Conſtit: tranſlationis Monaſt: Eberſp.
n Conſtit: *quantum.*
o Litt: Apoſt: ad Carol: Epiſc: Verdun.
p Inſtruct: Vindic: pag: 27.
q Conſtit: Canonizat: S. Ignatii.

thoritate ſuâ diſſolvi ratum Matrimonium: monuit verò, quos conſulebat ne fiderent factis, & exemplis Deceſſorum ſuorum: tum addidit; *non dubito quin ego, & Deceſſores mei errare aliquando potuerimus.* Quid hinc Launoyus conficiet? non aliud, quàm Pauli IV. judicio in illâ conſultatione fieri potuiſſe, ut errarent Pontifices iſta facientes. Habet alia conſultatio illa, ut refertur à Launoyo ipſo, quæ perſuadeant contrà, ac vult ipſe, Pontificem ſenſiſſe de Authoritate ſuâ: ſed quid his immorer; quando de conſultatione ipsâ res eſt parum teſtata? Unum Lector animadvertat, quàm valida Pontificum teſtimonia adverſus ipſos Pontifices videatur collegiſſe Launoyus, quando illis miſſis Aſſertor Inſtructionis famoſus ſatius judicavit, tamquam Pontificiâ plenum Authoritate objectare Adriani Florentii errorem.

III.

Honor ſuus vindicatur Innocentio X. Alexandro VII. & Clementi IX. Summis Pontificibus adverſus contumelias famoſi ſcriptoris Anonymi.

FAmoſas vindicias ſi cum Inſtructione conferas, facilè animadvertes, ad Inſtructoris ingenium belle nimium eſſe factum Authorem vindiciarum: illius hic nutus obſervat omnes ſuperſtitiosè. Tum verò ſi quid innuit Inſtructor, ille exequitur largiter, atque in iſtam partem amat peccare potiùs, ut abundaſſe officio videatur, quàm defuiſſe.

Lucubrationi ſuæ, ut vidimus, inſperſerat quiddam Inſtructor de Quæſtione facti obnoxiâ errori Eccleſiæ ipſius. Satis hoc erat nutus famoſo Inſtructoris Armigero, ut illam Eccleſiæ Authoritatem non abjudicaret ſolùm, ſed abjiceret fœdiſſimè, & conculcaret. Altiùs aliquanto nobis repetenda res eſt.

Nemini eſt ignota Innocentii X. Papæ graviſſima Conſtitutio Propoſitiones quinque ut hæreticas damnantis *p*. Ac ne ea quidem, quam Alexander Pontifex VII. *q* edidit, Conſtitutionem Innocentii *confirmans, approbans, innovans, & quinque illas Propoſitiones ex libro Cornelii Ianſenii, cui titulus eſt Auguſtinus excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe definiens, & declarans, & uti tales inuſtâ ſcilicet eâdem ſingulis notâ &c. iterum damnans.*

p Conſtit. *Cum occaſione.*
q Conſtit. *ad Sacram.*

nans. Nota quoque altera Pontificis ejuſdem Conſtitutio r ro-gatu Epiſcoporum, & Chriſtianiſſimi Regis Galliarum certam præſcribentis formulam, quâ in Regno iſto Eccleſiaſticus Ordo univerſus *Propoſitiones quinque ex Cornelii Ianſenii libro, cui nomen* Auguſtinus, *excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, pro ut illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſyncero animo rejiceret, ac damnaret, & ita juraret, ſic me Deus adjuvet* &c. Alexandro VII. Succeſſor Clemens Papa IX. Deceſſorum Pontificum veſtigiis ſic inſtitit, ut *nullâ exceptione, aut reſtrictione admiſsâ* s integram ſynceramque Alexandri Papæ mandato obedientiam vindicaret. r Incipit. *Regiminis Apoſtolici.* s Litt. Apoſt. ad Epiſc. Andegav. Belovac. &c.

Hìc verò mecum Lector diſpiciat, quid honoris habuerit Innocentio X. Alexandro VII. Clementi IX. Summis Pontificibus famoſus ſcriptor. Parum erat Chriſti Vicariis Doctoribus propoſitiones quinque damnantibus *in ſenſu ab Authore intento* fidem non habere: doctrinæ ipſius Authoritatem ſupremam irriſit, exſibilavit. En ſpecimen: *Quo enim*, inquit, *illa* FUTILIUM ET TOTIES CONVULSARUM *de Pontificis Romani* ..... *in fidei, &* (QUOD VIX SIBILO MERETUR EXCIPI) *facti etiam quæſtionibus decernendis infallibilitate aſſertionum farrago?* Facti propoſitiones eas intelligit, quas hodie vulgò nuncupant, tractaveratque Author Diatribæ, eaſque adeo, quas ſupremæ Authoritatis ſententiâ dijudicandas ſibi ſumpſêre Pontifices Romani propoſitiones quinque damnantes *in ſenſu ab Authore intento.* Iniquitatis filii, quos appellat Alexander Papa t tergiverſantes, ne Propoſitiones quinque execrarentur præſcriptâ formulâ, non uſque eò ejécêre ex animo venerationem Summorum Pontificum: petiêre ut defungi liceret *Venerabundo ſilentio.* Noſter ille verò Authoritatem tantam non ſolùm non veneratur, ſed exſibilat, atque hoc ipſum cenſet honoris eſſe nimium; *Vix ſibilo*, inquit, *meretur excipi.* t Conſtit. *Ad Sacram.*

Hæc profectò ſunt ejuſmodi, ut nulla ſit oratio, quâ liceat aſſequi atrociam contumeliæ. Eſt enim verò *ſibilus* ille non *auræ tenuis* v ſed *acuentis linguam ſuam ſicut ſerpentis* x; ut mihi omnino ſequendum hoc loco videatur S. Proſperi conſilium z *hujuſmodi hominum pravitati, non tam diſputationum ſtudio, quàm Authoritatum Privilegio eſt reſiſtendum*, planèque hujus generis impietas non rationum momentis revincenda (cui enim rationi auſcultet exhauſto rubore è ſuis tenebris ſibilos mittens in Chriſtum Domini?) ſed, quod de Juliani perfidiâ Romæ convictâ *apud Apo-* v 3. Reg. 19. x Pſal. 139. z Contra Collat.

ſtolicam ſedem pronuntiabat Auguſtinus a *Coërcenda poteſtatibus Chriſtianis.*

a Lib: 2. Oper: imperf. c. 103.

Quò te præcipitem egit Inſtructoris tui amor, hominum, qui vivunt, confidentiſſimè? Hæc tu auſus in eam Authoritatem, quam Catholica Eccleſia, & olim venerata eſt, & hodie veneratur univerſa? Galliam appellabis. Scis, ſcis ipſe ſacros Gallicani Regni Ordines præeuntibus Antiſtitibus univerſos, *nullâ exceptione, aut reſtrictione admiſsâ* b præſcriptis verbis juraſſe in Conſtitutionem Alexandri Pontificis Propoſitiones quinque damnantis *in ſenſu ab Authore intento.* Scis itidem illum ipſum, qui tibi hos animos facit, non fuiſſe exemptum communi lege, & multò ante graviſſimo Sorbonæ judicio c, ni *ejuraret falſam & peſtilentem doctrinam* eam ipſam, quæ te ad hæc egit præcipitem, ab ipſius Sorbonæ *ſinu, atque corpore repulſum, expunctum, reſectumque* fuiſſe: ſcis judicio eodem decretum fuiſſe, *ut nemo poſt hac, aut è Doctoribus ad comitia, aut è Baccalaureis ad ullos actus Theologicos, aut è Theologiæ candidatis ad reſpondendum admitteretur, niſi ante huic cenſuræ ſubſcripſiſſet.* Galliam mittamus.

b Litt: Apoſt. Clem. IX ad Epiſc. Andegau. Bellovac. &c:

c Cenſura in libell. ſeconde lettre de Mons. Arnauld. &c. 1 feb. 1656

Hæccine tu auſus in eâ Provinciâ, cujus Religioſiſſimi Principes, Integerrimi Antiſtites, omnes denique Ordines, ſummorum Pontificum decreta Propoſitiones quinque condemnantium *in ſenſu ab Authore intento* libentibus animis ſuſcipientes Authoritatem Pontificiam in facti quæſtione, quam tu vocas, venerati ſunt?

Hæccine auſus denique ad eos Academicos, quibus fas non eſt, gradum facere Theologicum, niſi promiſsâ, & juratâ religioſâ obſervantiâ Conſtitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. Pontificum Propoſitiones quinque proſcribentium *in ſenſu ab Authore intento*, atque hoc pacto liberatâ Magiſtrorum fide, qui plenâ pietatis epiſtolâ ad Alexandrum Papam id ſe curaturos receperant, teſte Alexandro ipſo d? Infelix! *ſcandalum, & læſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ pertulerunt* Belgio toto: quid ni enim in te pronuntiem, quod in Dioſcorum hoſtem Pontificum vibrarunt Chalcedonenſes Patres e? ſed tu caligine tuâ te involvens, ac ne nominis quidem tui lucem, candoremve ſuſtinens, *poſuiſti immunditias tuas in corde tuo, & ſcandalum iniquitatis tuæ ſtatuiſti contra faciem tuam: numquid interrogatus reſpondebo tibi* f? Reſpondi Inſtructori. Videamus verò, ſitne aliquid quò ſeſe efferat altiùs iniquitas tua.

d Litteris Apoſt. ad Facult. Theol. Lovan. 17. Auguſti 1660.

e Syn: Chalc. Act. 3.

f Ezech. 14.

IV. *Faſti-*

IV.

Faſtigium iniquitatis Innocentio X. Alexandro VII. Clementi IX. Pontificibus Maximis non ſolùm detraxiſſe autboritatem iudicandi de ſenſu Authoris Scriptoriſve hæretico, ſed & pudendum errorem impegiſſe.

Fili iniquitatis (monet enim iam res ipſa, ut eo te compellem nomine, quod factioni tuæ indidit Alexander Papa VII. *g*) documentum dediſti inſigne, verum eſſe, quod aiunt, *in lubrico eſſe vitia*, ſemelque incitata ruere, animumque victum præcipitare miſerabiliter. Detractâ ſummis Pontificibus, fœdèque proculcatâ Authoritate falli neſciâ in ferendo judicio de ſenſu hæretico ſcriptoris, ſcriptioniſve, quid te ſuſtineret, ne Iesu Christi Vicariis doctoribus errorem impingeres pudendum etiam vulgari Theologo? Propoſitiones quinque damnarunt illi de hæreſi eo acceptas ſenſu, quem Pſeudo Auguſtinus contineret: hoc de ſe, hoc de Innocentio Deceſſore ſuo declaravit Alexander Papa *h*. Tu verò ſupremorum in hiſce controverſiis Iudicum Iudex ſuperior, quid cenſes? *Illuſtriſsimus*, inquit *i*, *Præſul Iprenſis hoc uno argumento expugnandus erat, quo demonſtraretur, non in Catholicâ veritate, ſed Auguſtini ſententiâ aſſerendâ cecidiſſe: neque enim ego (inquit incomparabilis doctor) quid verum, aut falſum, quid tenendum, aut non tenendum in Catholica Eccleſia Doctrinâ tradidi, ſed quid Auguſtinus tenendum aſſeruerit, ac docuerit. Verùm cum id confici poſſe iure deſperaretis*, IMAGINARIAS ALIQUAS PROPOSITIONES PROCUDI OPORTUIT, QUIBUS RES PURA PUTA FACTI *devolveretur ad quæſtionem juris.*

g Conſtit. *Ad ſacram*

h Ibidem

i Inſtruct: vind. pag. 25.

Fatebor Lectori, non perveniſſe ante hoc tempus ad animum meum atram ſuſpicionem, vivere hominem in Belgio tam profligatæ pietatis in Apoſtolicam ſedem, ut vel celato nomine hæc effutiret invidiæ tam flagrantis, tam nullo pudore, contumaciâ tam apertâ: certè quidem à quo tempore ſuum de Quinque Propoſitionibus judicium publicavit Alexander, non

meminì ad manus meas pervenire paginas Scriptore Belgâ tam fœdis hujus generis notis illitas. Singula videamus.

Hoc uno argumento expugnandus erat, quo demonſtraretur non in Catholicâ veritate, ſed Auguſtini ſententiâ aſſerendâ cecidiſſe. Hæc illa eſt cantio, quâ nulla fuit annis ſuperioribus frequentatior, nulla ſæpius convicta. Primùm quidem neceſſe eſt, qui neſciat hoc demonſtratum eſſe ſæpius, atque abundè, eum aut non legiſſe, quibus hoc actum eſt, libros, aut non intellexiſſe. Aio deinde, neque dubium id eſſe poteſt tibi, ſi demonſtratum eſt, lapſum eſſe de Catholicâ veritate Præſulem tuum, liquere pariter, non ſtetiſſe in aſſerendâ Auguſtini ſententiâ: licuit ergo & hac, & illâ viâ illum adoriri.

At ille, *non quid tenendum; ſed quid Auguſtinus tenendum aſſeruerit, tradidit.* Quid ergo? Non id ille tenendum cenſuit, quod Auguſtinus aſſeruit tenendum? Haud paulò plus Auguſtino ille tribuit, quàm tu Romano Pontifici. Quid enim? CERTI, INQUIT *k*, IN AUGUSTINO SUMUS, *quod, ubi aliquid tamquam verum, ſive hæreticos refellendo, ſive Catholicos inſtruendo incunctanter affirmat, de perſpectâ ei veritate, quamquam nobis fortè ignotâ, nec ſatis intellectâ,* SECURI ESSE DEBEAMUS: Abundat hoc genere liber, quem Procemialem nuncupat: neque illa obſcurabit, quod aſperſum eſt Epilogo, fuci quiddam. Quamquam & in Epilogo ſic gratulatur ſibi, ut ſe dicat *filum doctrinæ cæleſtis ſecutum.* Denique ut merum Auguſtini interpretem egiſſet, interpretem expugnarunt tam illi, qui demonſtrarunt alienas à Catholicâ veritate ſententias Auguſtino tributas, quàm qui alienas ab Auguſtini mente; imò expugnarunt illi efficacius; quippe qui demonſtrarint eâdem operâ etiam id, quod hi.

k Lib: procem: c. 28.

Quid plura? vin' me loqui planè? Non eſt eadem Doctoris veſtri doctrina, quæ Auguſtini, vel ſi mavis non eſt ille Auguſtini mentem interpretatus aptè: ac, ne cavillationi ſit locus, per me licet, ut cum ejus nomino doctrinam, tu interpretationem intelligas. Non eſt eadem, inquam: quia Wicleffi, Lutheri, Calvini, & eorum gregum, quos hi duxerunt, non eſt eadem doctrina, quæ Auguſtini: Atqui demonſtrata res eſt *l*, univerſam Novi Auguſtini fabricam ex illâ colluvie materiam accepiſſe & formam, ſurreptis nullo plagii pudore ex illorum penu, præter verba prope eadem doctrinam exprimentia, etiam rationibus, Scripturæ, Patrumque teſtimoniis, exemplis, ſimilitudinibus, effu-

l Apud Richard de lib: Arb: alioſque

effugiis, calumniis. Res oculis ipſis ſubjecta eſt toties, & tam perſpicuè, ut faſcino vinctos eſſe oporteat, qui non viderint. Vidit Calvini Miniſter Groninganus Samuel Mareſius in Proœmio ad ſuam Catechiſmi Ianſeniani de gratiâ latinam verſionem, ubi & gratulatur ſibi plurimùm de novâ ad Calvini partes acceſſione Ianſenii operâ, & præclaris extollit elogiis Ianſenium inprimis, tum Sancyranum Abbatem, Arnaldum, Mauguinum. Vidit deinde idem ille in eo libro, quem inſcripſit *Apologiam noviſſimam pro S. Auguſtino, Ianſenio & Ianſenitis, contra Pontificem, & Ieſuitas.* Legiſtine, quam habet liber, præfationem ad *Eruditos illos viros* factionis tuæ? Quàm magnificè extollit *Heroas*! quàm bellè iiſdem plaudit, atque *Euge* ſuccIamat! Etenim *Nec minus*, inquit, *noſter Auguſtinus in his controverſiis, quàm veſtri Ianſenii. Eandem bene agendi in naturâ lapsâ impotentiam agnoſcimus .... Eamdem gratiæ medicinalis Prædeſtinatione divinâ præparatæ efficaciam, & infallibilitatem propugnamus: eamdem liberi, & neceſſarii amicam conjunctionem in actibus humanis defendimus;* Sed ille finem neſcit. Vidit denique, & prædicavit conſenſionem eamdem Ioannes Henricus Ottius de Calvini Scholâ Tigurinus Miniſter *m.* vidit articulorum Montpeſſulani Conventiculi buccinator *n.* viderunt alii. Nos pergamus.

m In oratione de causâ Ianſenitica

n Epiſt: ad Reformatos 9. May 1954.

Verùm inquis, *cum id confici poſſe iure deſperaretis*, IMAGINARIAS ALIQUAS PROPOSITIONES PROCUDI OPORTUIT, *quibus res pura puta facti devolveretur ad quæſtionem juris.*

Hæc illa ſunt, quæ indigitabam noſtratum calamis inuſitata; ſed famoſo ſcriptori infamibus exterorum libellis paſto familiaria pridem: quid ille ructaret, niſi *imaginariam hæreſim* à Damvillerio *o*; quid niſi *monſtra hæreſum imaginaria* ab Arnaldo ſuo adornata *p* ad contumeliam ſummorum Pontificum? *Imaginarias propoſitiones procudi oportuit.* Si quis ambigit hæc legens, quid velit, hæc ejus eſt oratio: Meram Auguſtini Doctrinam tradiderat meus *Doctor admirabilis* Corn: Ianſenius: convelli non poterat Auguſtini Doctrina: certum tamen erat Galliarum Epiſcopis ſævire in Ianſenium: procuderunt igitur *Imaginarias Propoſitiones* quinque: has cum neque Janſenii eſſent, neque Auguſtini, obtruſere Pontificibus Romanis turpiſſimè imponentes è Ianſenii libro excerptas eſſe: ſimplices Pontifices decepti, inductique Epiſcoporum impoſturis *Propoſitiones* damnarunt *imaginarias*, hæreſim putantes, quæ in Ianſenii libro ineſſet, neque inerat tamen.

o Lib. *les Imaginaires*

p 2 Lettre Pag 120.

Eſtne

Eſtne quidquam in oratione iſtâ quod tuum non agnoſcas? ſapientiſſimi ex universâ Galliâ Præſules ampliùs octoginta Propoſitiones quinque tamquam ſuo excerptas judicio è Doctoris tui libro obtulêre cenſendas Apoſtolicæ Sedi. Extat hujus rei teſtis illorum epiſtola ad Innocentium omnibus notis pietatis inſignis. In hunc ergo Epiſcoporum cœtum tam auguſtum cadat neceſſe eſt, quod ais: *Imaginarias propoſitiones procudi oportuiſſe*; hi tibi ſunt Pontificum ſummorum impoſtores, hi ludibriorum fabri, & artifices.

Miſeros verò Pontifices judicio tuo, animiſque nimiùm ſimplicibus, qui fraude iſtâ circumveniri ſe ſiverint. Quid enim? Sciveruntne à Doctoris tui libro abeſſe Propoſitiones quinquè? Tum verò neceſſe ſit, ipſos Vicariâ Chriſti abutentes authoritate, Eccleſiæ fidelium univerſæ impoſtores fuiſſe, ſummoque Sacrilegio mentitos, cum declaraverunt è Petri Cathedrâ hæreticas eſſe Janſenii propoſitiones. Molliora, quæſo te, auribus noſtris: circumventos, miſerèque luſos dic potiùs, tum verò & ſtolidos, qui eâ cauſæ diſcuſſione adhibitâ, *quâ major deſiderari non poſſet* q non viderint, quod tu vidiſti.

q Teſte Alex. VII. Conſtit. ad Sacram.

Sed quàm planos homines, impioſque, vel excordes nobis facis eos Theologos, quos in conſultationem advocarunt Pontifices! Etiamne hos cenſes operam dediſſe Gallicanis Epicopis, qui *Propoſitiones* procudêre *imaginarias*? quâ autem ſpe corruptos? Magis eſt, ut credam, fuiſſe illos judicio tuo excordes, qui Auguſtino Doctoris tui non intellecto, id in eo legerint, quod non inerat, imaginemque pro re viderint.

Bellam verò Comœdiam in arce Vaticanâ, & Pontificiâ dignam Majeſtate actam cenſes. Acceptis è Galliâ propoſitionibus quinque Innocentius Papa cœtum cogit Emin. Cardinalium, & Theologorum ex omni ordine Præſtantiſſimorum: enuntiat r *Occaſione impreſſionis libri, cui titulus* AUGUSTINUS *Cornelii Janſenii, inter alias eius opiniones, ortam fuiſſe præcipuè in Galliis controverſiam ſuper quinque ex illis: cordi ſibi eſſe ſedare tempeſtatum fluctus, & procellas. Eaſdem quinque Propoſitiones facit ſingillatim diligenter examinari, eorumque in Sacrâ Theologiâ Magiſtrorum ſuffragia cum voce, tum ſcripto relata maturè conſiderat, eoſdemque Magiſtros variis coram ſe actu Congregationibus, prolixè ſuper eiſdem, ac ſuper earum quâlibet differentes audit. Cum autem ab initio huiuſmodi diſcuſſionis ad divinum implorandum auxilium, multorum Fidelium preces tum*

r Quæ intelligas ex Conſtit. *cum occaſione* quam poſt edidit

privatim, tum publicè indixiſſet, poſtmodum iteratis eiſdem ferventiùs, ac per ſe ſolicitè imploratâ Spiritus Sancti aſſiſtentiâ, tandem divino Numine favente ad declarationem, & definitionem devenit; quâ ſcilicet Eccleſiam docet Univerſam, hæreticas eſſe quinque Propoſitiones Cornelii Janſenii. Ibi verò ſedatum iri tempeſtatum fluctus augurabatur Pontifex: at tu, ut in actu Comœdiæ poſtremo, rides ſcilicet, atque inani ſpecie, & Phantaſmate, unà cum Theologis, luſum Pontificem exclamas, neque hæreſim Janſenii damnaſſe, ſed *monſtrum hæreſeos imaginarium.*

Non fert Alexander Papa VII. Te tuosque, ut *Iniquitatis filios* redarguit graviter: *ſ* Se teſtatur *Innocentii juſſu omnibus illis congreſſibus interfuiſſe. Quinque illas Propoſitiones in ſenſu à Corn. Janſenio intento damnatas fuiſſe definit, & declarat, & uti tales iterum damnat &c.* Quid tu ad Authoritatem tantam? *vix ſibilo*, inquis, *meretur excipi. t* *ſ* Conſtit. ad Sacram.

Mihi, fateor, hîc quidem in diſputatione ſpes nulla eſt poſita: ea potiùs tenenda ratio, quæ Auguſtino placuit libro de quinque hæreſibus *u* pagani blaſphemiam redarguenti: *Ab Allophilo*, inquit, *Telum miſſum excepimus, quid remittimus? Quodlibet miſerimus telum, licet perveniat ad illum, nihil prodeſt. Quare? quia durus eſt, quia lapideus eſt .... Quæramus ergo lapidem, quo percutiatur, ut percuſſus quaſſetur, quaſſatus comminuatur &c.* Tum verò ori prophano, duroque prophanum impingit teſtimonium ex libro Hermetis, ſeu Mercurii cujuspiam. Tentemus & nos. *t* Inſtruct. vindic: pag 3. *u* Cap. 3.

Imaginarias Propoſitiones damnavêre Pontifices. Scis quantis Authoribus probare queam *imaginarias* non eſſe? Illis ſanè, quos tibi oportet eſſe ſummos, quia doctoris tui tam amicos, quàm es tu. Sed tibi, Lector, tempora diſtinguenda: non erant imaginariæ Propoſitiones, cum diſputabantur in Galliâ, nondum etiam dijudicatâ ab Innocentio causâ, hâc judicatâ, factæ ſunt imaginariæ: illud eſt oſtenſum ſæpe, ſed & huic noſtro impingendum eſt.

Erant prorſus, iniquitatis filii, tuarum partium illi qui anno 1649. librum evulgarunt inſcriptione hac; *Propoſitiones de gratiâ in Sorbonæ facultate propediem examinandæ*: has inter propoſitiones priores. quinque erant ipſæ, quæ ſubinde Pontificium fulmen ſenſerunt. Ad primam è quinque hæc lego *i*: *Veniamus ad Janſenium, etiam expendamus, quo ille intel-* *i* Pag. 10.

lectu

ctu poſitionem hanc uſurparit. Iuſtis omnibus volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, mandata aliqua impoſſibilia ſunt, & iis deeſt gratia, quâ poſſibilia fiant. *Habetur ea apud hunc Authorem lib. 3. de gratiâ Salvatoris Cap. 13. . . . . ſolidiſſimis argumentis, & ſaniſſimo ſenſu adducta, & conſtabilita.* Ad Secundam Propoſitionem è quinque; *Interiori gratia* &c. Hæc
k pag. 16. leges [k] *Accedat modò Antiſtes Iprenſis. Aſſerit ipſe, & explicat ex profeſſo propoſitam theſim lib. 2. de gratiâ Salvatoris, eamque firmat ſolidiſſimè.* Iiſdem veſtigiis fit progreſſus ad propoſitiones cæteras: vindicantur ſingulæ Janſenio. In procemio ipſo hoc ſtatuitur generatim, ſpectandas eſſe propoſitiones, *ut in Ianſenii Auguſtino jacent, vel quoad verba, vel quoad verborum vim, ac ſententiam.* En quantâ probem authoritate, non eſſe imaginarias propoſitiones: Janſenio illas vindicarunt Janſeniani pridem.

Non erant *imaginariæ propoſitiones*, cum ad Pontificem factionis nomine legati viri libellum obtulêre columnis tribus diſtinctum, quarum, quæ erat media, ſenſum continebat cujuſque propoſitionis *germanum, propriumque*, &, ſi placet, Auguſtini. Columnis ut baſim poſuêre confeſſionem illuſtrem ipſo principio; *De propoſitionibus autem non in ſenſu alieno, ad quem trahi poſſunt, quique à nobis reſpuitur; ſed in ſenſu legitimo, qui à nobis defenditur, atque adeo de fide Catholicâ in iis contentâ, controverſia eſt.* Mox verò mediam è Columnis tribus ſic inſcripsêre. *Prima Propoſitio; ut à nobis defenditur.* Tum poſtea expoſitionem Propoſitionis ſic excepêre: *ſuſtinemus, ac demonſtrare parati ſumus, hanc propoſitionem ad fidem Eccleſiæ pertinere &c.*

His conſentanea dederunt fere cæteri malæ cauſæ Patroni, Author libri de victrice gratiâ, ejuſque Approbatores ſex: aliuſque libri cui titulus *Memoire ſur le deſſein &c.* Itidemque alius libri hoc titulo *Eclerciſſement ſur quelques nouvelles objections.* Ipſi deploratæ cauſæ Patroni quatuor fervente Romæ judicio, quid paucis ante ſententiam diebus ipſo coram Innocentio Pontifice proteſtati ſunt? *defendere ſe, ac defenſuros eſſe per omnem vitam Propoſitiones quinque in ſenſu legitimo, quem habent, tamquam continentes S. Auguſtini doctrinam indubitatam; adeoque Eccleſiæ ipſius.* Teſtata hæc, atque id genus alia, certiſque impreſſa notis veritatis tenemus. Rem miram! quæ Propoſitiones erant res quædam ſolida, ſuccus ipſe, & medulla Auguſtinianæ doctrinæ, priusquam tonaret è Vaticano monte, cædem illæ ad primum inde,

ſonitum

ſonitum, ne fulmen ſentirent, imaginariæ ſunt factæ, inaniſque ſpecies, umbra, ludibrium.

Licetne, quod ſentio, eloqui? licet. Dii quidam miri ſunt illi: Propoſitiones quinque de ſolidis fecerunt imaginarias: ne contrahe frontem, Lector; facilè commutaverint eaſdem, cum erit opportunum: facient ex imaginariis, ſolidæ ut ſint, omnibus iiſdem expreſſæ verbis: hac ſpe de ſolidis fecêre imaginarias. Præſtabit, quæ loquor, gravis Author Sorlinus *l* in eo libro, quo Galliarum Regi malas artes detexit ſectæ contumacis, teſtes eos appellans, qui nuper & ipſi partiarii adhibiti erant ad conventum Pariſiis celebrem, in quo recens damnatis ab Innocentio Propoſitionibus, cum *m alii ſtatuerent uſque ad mortem tuendas eſſe, alii decreverunt tempori cedendum, & ſimulato aſſenſu, in eo quod ad jus attineret, de eo diſputandum, quod facti eſſet, ſuſtinendumque alios ſenſus potuiſſe Janſenium habere, donec veniſſet tempus renovandi quæſtionem juris.* Non eſt obſcurum quibus dictantibus exciderit feminea vox: *Les cinq Propoſitions ne ſeront pas toujours malheureuſes.* Hæc atque hoc genus alia litteris conſignarunt Catholicæ fidei tenaces viri eo tempore, quo erant recentia, iis appellatis teſtibus, qui interfuerant, qui coram acceperant, qui & pars ipſi rerum fuerant, adirique poterant à quolibet. Parum me delectat horum commemoratio; ſed Auguſtini exemplo lapis hic fuit impingendus ori duro: *n Non tibi meos Authores profero: tuus eſt Mercurius:* tui ſunt Authores *columnarum trium*: tui, qui Romæ pro Doctore tuo cauſam dixerunt: tui quos alios induxi: *Ipſos audi, ipſi te convincant, ipſi expugnent, ut cum te vicerint: illis cedas, & mihi credas.*

l Reſponçe à l'inſolente Apologie.

m Ibid. in præfatione.

n Lib. de quinque Hæreſibus c. 3.

V.

Deteſtanda lectori proponitur quædam errorum ſumma, quâ famoſus Author Vindiciarum authoritatem falli neſciam abrogavit ſimul Romano Pontifici, ſimul Conciliis Generalibus, & Catholicæ Eccleſiæ.

PRoponitur, inquam, deteſtanda: eſt enim res ejuſmodi, ut ſolâ ſui propoſitione indigeat, quo deteſtabilis evadat. Pau-

cis complexus eſt omnia. Extra Scripturas ſacras, nihil uſpiam eſt decretorum fidei, cui fidere liceat: non Romanorum Pontificum, non oecumenicorum Conciliorum Sanctiones, non Sanctiſſimi tot Patrum Eccleſiam omnem repræſentantium canones, quibus & Fides Catholica aſſerta, & Hæreticorum perfidia tam multiplex, locis, temporibusque tam diverſis, perculſa, & profligata: nihil habent firmi illa omnia: errori, vanitati, ludibrio obnoxia ſunt univerſa, ſi prophano famoſi Scriptoris effato ſtandum eſt.

Patere, Lector, priusquam proponam rem ipſam, quiddam me annotare de Magno Eccleſiæ Doctore Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo, quod mihi aſſentiri eos omnes oportet, qui vel Auguſtinum, vel Eccleſiam venerantur. Eſt omnino Auguſtinianæ doctrinæ tantum pondus, ac momentum, ut, qui eam parvi pendat, illum ego cenſeam non ſolùm Theologi nullum numerum obtinere, ſed & in Eccleſiam ipſam parum pium, cui videlicet Auguſtini ſcripta quoddam ſunt armamentarium publicum omni genere machinarum, telorumque Inſtructiſſimum, è quo iam olim Romani Pontifices, & Concilia ſibi cenſuerint arma petenda ad retundendos Hæreſeon omnis generis impetus nefarios. Attamen prohibeant ſuperi, ne, quæ adverſus omnem perfidiam, arma Eccleſiæ cudit Auguſtinus, ea hæreticorum more in Eccleſiam impiè convertam, & Auguſtinum Eccleſiæ ipſi anteponendum putem. Accepit ab Eccleſiâ, Romaniſque Pontificibus Auguſtinus pondus illud authoritatis ingens, quod apud nos obtinet, ſed neque univerſa ejus Scripta, ac ne ea quidem, quæ in causâ fidei diſputavit, ſic approbavit Eccleſia, ut ſupremum authoritatis momentum adjunxerit effatis

o Diat. n. 482. ſingulis: quænam ea ſint, Diatriba explicuit: o Oſtendit quoque Auguſtino haud placituram rem eos moliri, qui de ejus authoritate ſentiant quiddam Romano ipſe Pontifice, aut Eccleſiâ ſublimius: ne Evangelio quidem credebat ille, *niſi Eccleſiæ Catholicæ commovente authoritate p.* Si quâ incidebat controverſia gravior, ille aut Generalis Concilii ſententiam ſtatuebat expectandam q aut conſulendam Apoſtolicam ſedem r atque hæc quidem explorata ſunt.

p Cap. 5. contra E-piſt. fundam.

q Lib. 2. contra E-piſt Parmen. cap. 13.

Accipe nunc, quam promittebam errorum ſummam paucis concluſam verbis, atque his fere ipſis.

AUGUSTINUM SECUNDUM SCRIPTURAS PRIMUM VENEROR.

Ne

Ne cavillationi ſit locus ſingulos accipe verborum apices *r certè ait neque in Auguſtino, quem ſecundum Scripturas primim veneror: hunc mihi laqueum injici patiar.* Scripturas hic ego eas intelligo, quas ſolemus ſimpliciter poſito nomine: quid enim in eo dubitem? de Auguſtino dubitare queam, num Hipponenſem intelligat, an Iprenſem: cauſas dubitandi ſupra expoſui, ſed nos verò intelligamus, Hipponenſem eſſe nominatum, ne quem ſubeat ſuſpicio augendæ invidiæ operam eſſe datam.

r Vide Aug. Epiſt. 92. 106 & Innocentii Epiſt. inter Auguſtianas 93.
s Inſtruct. vind pag. 18.

En ergo paucis verbis abrogatam authoritatem falli neſciam tot ſimul fidei decretis, quæ ab Oecumenicis Conciliis, quæ à Chriſti Vicariis Magiſtris ſupremis, Pontificibus Romanis accepta pro intemeratis habet, veneraturque omnis Eccleſia. *Auguſtinum ſecundum Scripturas primum veneratur*: poſtponit ergo Auguſtino & Pontifices pro Chriſto Eccleſiam docentes, & Eccleſiam ipſam in generale Concilium coactam: atqui non eſt nulli obnoxius errori Auguſtinus: hoc de ſe inculcat nobis Auguſtinus perſæpe, *t* hoc de Auguſtino fatetur famoſus ipſe Scriptor: *diſce*, inquit *v nullo ſeculo non licuiſſe diſſentire alicubi à quamlibet probatis authoribus. Certè, neque in Auguſtino, quem ſecundum Scripturas primum veneror, hunc mihi laqueum injici patiar (nec ille velit) ut ad omnes illius apiculos, quibus de Philoſophicis diſſerit, per fas, ac nefas propugnandos pertinaciter obrigeſcam.* En igitur, præter Scripturas, obnoxia errori decreta fidei omnia. Credulus nimium Gregorius Papa ſummus, qui *ſicut Sancti Evangelii quatuor libros*, Sic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari ſe fatetur: *x* credula, turpiſſimèque diluſa Chriſti Eccleſia: ſuis ipſe votis deluſus Chriſtus, *z* cum & non defecturam fidem rogavit Petro, ejuſque ſucceſſoribus, & iſto *non defuturæ fidei* fretos inſtrumento juſſit eoſdem confirmare fratres ſuos. Quid denique reſtat, niſi ut ad eos abeamus faſtidioſos, qui controverſiarum fidei judicem, qui vivat, omnem aſpernantur.

t Epiſt. 7. ad Marcellin. lib de dono perſev cap. 2. & alibi.
u Inſtruct. vind pag. 18.
x cap *Sicut Sancti* diſtinct 15.
z Luc. 22.

Ne Auguſtino quidem judice, ſi quæſtio inciderit Philoſophica, ſtare vult ille: hîc ſaltem errori obnoxium cenſet. Quid verò alibi? Fortaſſe dicet omni exemptum erroris periculo. Sed unde illa Auguſtino authoritas? ab Eccleſiâ quidem eſſe non poteſt: nam hæc ſanè Auguſtini Scriptis dare non potuit plus aliquid, quàm decretis ſuis; non ergo, ut ſecundum Scripturas primum obtineat locum. Somniaſſe ergo oportet famoſum Scriptorem, Auguſtino Spiritum Sanctum ſic adfuiſſe ſcribenti

ti, uti credimus vel canonicis Scriptoribus adfuiſſe, vel ipſi Eccleſiæ decreta fidei ſcribenti. Tum verò mirandum, S. Doctorem inveniſſe, quod ſibi diſpliceret in Scriptis ſuis, & ejiciendum putaret. Non ſubeunt hoc genus correctionis Eccleſiæ, aut Pontificum Sanctiones in Fidei controverſiis. Sic Honorium monens Dalmatiæ Epiſcopum Gelaſius, ne Pelagianam Hæreſim à tot Pontificibus damnatam pateretur reviviſcere, obſervavit: *Numquidnam, ait, licet nobis à venerandis Patribus damnata diſſolvere, & ab illis exciſa nefaria dogmata retractare? .... An fortaſſe neſcitis hanc hæreſim, de quâ loquimur ab Apoſtolicâ dudum ſede per Beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zoſimum, Bonifacium, Celeſtinum, Sixtum, Leonem continuis & inceſſabilibus Sententiis fuiſſe proſtratam?* Non mutantur, non obliterantur quæ ſtylo adamantino, dictante veritate æternâ, ſcripſit Eccleſia, aut JESU Chriſti Vicarius cauſarum fidei arbiter Romanus Pontifex. Mutanda, atque obliteranda è ſuis decretis quædam cenſuit Auguſtinus: non ergo exiſtimavit dictante Spiritu Sancto illa ſe exaraſſe: neque eſt omnino, quo illum liceat ſecundum Scripturas primum venerari.

Non ſum, quem delectet quæſita ſtudioſè accuſationis materia: conatus ſum, fateor, perſuadere mihi, præcipiti calamo, atque ignoſcendâ homini imprudentiâ excidiſſe breve iſtud; *Auguſtinum ſecundum Scripturas primum veneror.* Verùm ut non potuerim omnino hoc à me vincere fecit ipſe: neque eſt cur me cruciem, ut quid benignioris ſenſus aſſignem Scriptioni tot nominibus infami: Scriptorem tam effrænem cohibere ſe ne in voragines ruat, haud multò eſt facilius, quàm ſuſtinere ſe, cum velit, qui ſe è leucade præcipitaverit.

VI.

Vindicantur à calumniis Famoſi ſcriptoris Romanorum Pontificum veneranda judicia de doctrinâ, & moribus Societatis IESU.

MEmoriâ celebratur vox nefaria perditiſſimi hominis de grege iſto, quem ſequitur Famoſus Scriptor, *Aut perdemus Eccleſiam, aut perdemus Jeſuitas.* a Eccleſiam non perdent, non ſi portas inferas ſolicitent: ſed neque Jeſuitas; niſi cum habebunt

a Raynaud. opuſc. Arnaldus de Brixia V.

bunt amicos, & conſentientes adverſus Eccleſiam. Sed mihi decretum eſt, nec tantillam Apologiæ hujus particulam Ieſuitis dare, quantula eſſet opus ad ea confutanda, quæ ex Molinæi Calviniſtæ promptuariis accepta pleraque Scriptori famoſo miniſtarunt Vergerius, Arnaldus, Montaltius, Wendrockius cæterique hoc genus Scriptores, quos ille colit impensè. Trita ſunt pleraque, & convicta centies: quæ de ſuo addidit paucula tam puerum redolent, ut ſi maximè Ieſuitis ſtudeam, ſilentio contemnenda ſint. Sed verò non excidat mihi ea Apologiæ ratio, quam inſtitui, & tenui hactenus: Pontificibus ſtudeo Romanis, & Eccleſiæ: Pontificum Romanorum authoritatem læſam graviter etiam hocce loco ulciſci placet.

Viâ potiſſimùm geminâ profundit ſeſe hominis rabies in Societatem IESU, à quâ hoc ipſum habet, quod fari poſſit: Priorem viam commonſtrent hæc *b*: Societatis alumnos, ait, *non aliud in tam immania præcipitia tranverſos egit, quàm quod plus æquo ratiocinatiunculis humanis tribuentes, evanuerint in cogitationibus ſuis*, ET OBSCURATUM SIT COR INSIPIENS EORUM, *ut ipſi non ſolùm fecerint ea quæ nō conveniunt, ſed & aliis* PONTEM STRAVERINT AD QUÆLIBET FLAGITIA. Mox verò exaggeratâ populi corruptelâ egregiam hanc laudem ait *c* *Ieſuitis deberi*, QUORUM AB ORTU *Immenſum leviſſimorum ſcriptorum examen, quaſi odioſa veſparum, at tabanorum acies, ſyncero* EVANGELICÆ DOCTRINÆ MELLI INFESTUM *in Eccleſiam involavit*. Præiverat verbis totidem Sancyranus Abbas: ſed non morentur hæc nos.

b Inſtruct. Vindic: pag: 11.

c Ibid: pag: 12.

Animadvertis, Lector, infami ſtylo confixam, damnatamque Societatem, quod jam inde AB ORTU ſuo Eccleſiæ perniciosâ extiterit, & PONTEM STRAVERIT AD QUÆLIBET FLAGITIA. Campum vides: ſed illum mihi interdixi: violata graviter ſummorum authoritas Pontificum me angit: Pontificum authoritatem more ſuo *d* *exſibilabit* ille: tu venerabere. Indicium accipe ſummi Pontificis, Pauli III. plenâ authoritatis Conſtitutione expromptum *e*: *Ad Societatem verò IESU .... cujus ſpecimen* VELUTI AGER FERTILIS DOMINO *multiplices*, ATQUE UBERES FRUCTUS *animarum ad ſummi Regis laudem, & fidei incrementum attulit, & affert quotidie* VERBO ET EXEMPLO *in populo Chriſtiano, dirigentes quotidie, velut Pius Pater oculos mentis noſtræ, dignum cenſemus, ut ipſam Societatem, ejuſque* IN ODOREM SUAVITATIS ALTISSIMO DESERVIENTES *perſonas ſpecialibus honoribus proſequamur.*

d Ibid: pag: 3.

e Conſtit. *Licet debitum*,

Tantæ

Tantæ authoritati famoſus ſcriptor ſuum illud objiciat: *pontem ſtravêre ad qualibet flagitia*, & quidem *ab ortu ſuo.*

f Iiu: A-poſt: *ſacræ Religionis.*

Julius audiatur Papa III. *f*: Societatem affirmat *Rejectis ſeculi vanitatibus, gratum Altiſſimo præbere ſub humilitatis ſpiritu famulatum, & ferventibus ſtudiis, per* EXEMPLA VIRTUTUM, ET SOLIDAM DOCTRINAM, *alios ad divinæ Majeſtatis obſequia trahere.* Suum illud contra ſtatuat famoſus ſcriptor, Societas *ab ortu ſuo Evangelica doctrina infeſta.*

g Conſtit: *Etſi ex debito.*

Pium audiat IV. Pontificem *g*: *Illi ſicut nomen Sociorum* JESU *aſſumpſerunt, ita opere*, DOCTRINA ET EXEMPLIS *Dominum N. Jeſum Chriſtum imitari, & ejus veſtigia ſequi nituntur.* Litteras adeat Apoſtolicas ab eodem Pontifice ad Philippum II. Hiſpaniarum Monarcham datas: *Hi enim*, inquit, *operarii licet noviſſimi, ... adeo ſtrenuam tamen, & utilem operam navare cœperunt, ut non modò ſpinas ex eâ, & vepres evellere aggreſſi ſint; ſed ipſam etiam alibi auxerint, & propagarint. Incredibile fere eſt, quantùm tam brevi tempore hic Ordo profuerit; quantùm Eccleſiæ Dei attulerit utilitatis; quàm multa ejus Ordinis collegia, divinâ favente gratiâ, alia aliis in Provinciis inſtituta fuerint,* NON SINE MAXIMO *earum Nationum* FRUCTU ET COMMODO; *quorum diligentiâ alibi fides Catholica confirmatur, alibi hæretica pravitatis peſtis reprimitur; alibi Gentiles, & Idololatræ relicto idolorum cultu ad Chriſti veri Dei cultum convertuntur.* Abrumpo epiſtolam, eſt enim prolixior in eandem ſententiam.

h Conſtit: *Innumerabiles.*

Pius verò V. quàm amplis verbis! *Innumerabiles* ait *h eſſe fructus quos benedicente Domino Chriſtiani orbi Societas* IESV, *viros* LITTERARUM PRÆCIPUE SACRARUM *ſcientiâ, religione, vitâ exemplari, morumque ſanctimoniâ perſpicuos, multorum* RELIGIOSISSIMOS PRÆCEPTORES, ET VERBI DIVINI, *etiam apud longinquas & barbaras illas nationes, quæ Deum penitus non noverant;* OPTIMOS PRÆDICATORES, ET INTERPRETES *producendo, feliciſſime hactenus attulit.* Auſculta Pontifici Pio V. cui te deceat auſcultare, etſi Pontifex non eſſet, viro Sanctitatis, & doctrinæ famâ celeberrimo.

i Conſtit: *Salvatoris Domini.*

Nihilo humilius Gregorius Papa XIII *i*: *Presbyteri venerabilis Societatis* IESV *in vineâ Domini* TAMQUAM FRUCTIFERI PALMITES *in toto fere orbe tam in ovibus diſperſis ...... reclamandis, & defendendis, quàm etiam iis, quæ extra ovile Chriſti ſub ignorantiæ jugo in obſcuris, & tenebricoſis locis, ac deſertis aberrant convertendis. . . . . : optimum, & uberrimum fructum attulerunt*, ET INDIES MAIORE CUM SOLICITUDINE AFFERRE, *zizania extirpare, bonum ſemen renovare, plantare*

tare ..... non ceſſant. Societas tam utiles, & neceſſarias functiones tum in domibus PER FREQUENTEM POENITENTIÆ, ET EUCHARISTIÆ SACRAMENTORUM *adminiſtrationem ..... tum in Collegiis per lectiones tam bonarum litterarum, quàm* PHILOSOPHIÆ ETIAM, ET THEOLOGIÆ ..... *magno Dei beneficio, & Eccleſiæ ſpirituali emolumento exercet.* Faſtidio ſim, ſi, quæ ſunt alia plurima Gregorii ejuſdem *k*, & aliorum Pontificum Gregorii XIV. *l* Clementis VIII. *m* Pauli V. *n* Gregorii XV. *o* judicia his paria omnino recenſeam: oraculis tantis non dubitavit è caligine ſuâ oblatrare nocturnus graſſator, vel hoc nomine bonorum omnium deteſtatione, atque horrore digniſſimus. Quos Pontifices ſummi *fructiferos palmites, agrum fertilem virtutum, & ſolidæ doctrinæ, viros litterarum præcipuè ſacrarum ſcientiâ, religione, morumque ſanctimoniâ perſpicuos* appellare non dubitarunt, iſte *in immania præcipitia tranſverſos, obſcurato corde inſipientes, Evangelicæ doctrinæ infeſtos*, & quidem AB ORTU ſuo prædicare eſt auſus; dubites convitione majori in viros illos, quàm in Pontifices Maximos Chriſti Vicarios.

k Conſtit: *cum ſicut.* Conſtitut: *Aſcendente.* Conſtitut: *quanto fructuoſius.* *l* Conſtitut: *Eccleſiæ Catholicæ.* *m* Conſtit: tranſlationis Monaſt: Eberſp. *n* Conſtit: *quantum.* *o* Litt: A. poſt: ad Carol: E. piſc: Verdun.

Aliâ ſeſe viâ exeruit hominis rabies, quo ſtrictiùs, eò furentiùs, nocentiùſque, ſiquid nocere poteſt illa. Parum fidebat calumniæ tam generali, invidiam revocanti ad primum uſque *ortum*: animadvertebat incredibilia à ſe jactata: eo turbinem convertit, ut *Societatis* AD TUMULUM PROPERANTIS DECREPITUM LANGUOREM improperaret *p*, idque authorem laudans de imperitâ plebe ſcurram à quo ſcriptam eſſe epiſtolam, quam appellat, tam ipſa per ſe loquitur, ut alio argumento non ſit opus. Stantis etiamnum, vegetique Ordinis languorem dum canit ille, vota ſua canit, & quod vult miſer non ſperat ſolùm, ſed videre ſe autumat. Verùm hæc mittamus.

p Inſtruct: Vindic: pag: 27.

Meminiſti, Lector, ex iis, quæ ſupra dedi, omnibus quidem, ſed illis præcipuè Pontificibus infenſum eſſe famoſum Scriptorem, qui Pſeudo-Auguſtinum damnarunt: his ergo ægrius quiddam facere videtur voluiſſe, Societatis hoc tempore *ad tumulum properantis languorem exprobrando*: non id animadverterant Pontifices ætatis noſtræ, imò neſcio quâ cæci commotione animi vividum quemdam juventæ vigorem, quem *languorem* iſte appellat, rati ſunt; ſuiſque oraculis conſecrarunt.

Urbanum Papam VIII. audiamus *q*: *Societas* JESU inquit *Gentilibus convertendis, hæreticis ad fidei veritatem revocandis*, ET ROMANI PONTIFICIS POTESTATI TUENDÆ, *ex inſtituto ſe totam impendit.*

q Conſtit: Canonizat: S. Ignatii.

pendit. Aures adverte Fili iniquitatis: ROMANI PONTIFICIS POTESTATI TUENDÆ EX INSTITUTO SE TOTAM IMPENDIT: hoc unum eſt flagitium, ſi verum quærimus: ſed verò muneribus tam præclaris dum perget illa *ſe totam impendere*, imbelle convitium *decrepiti languoris* nemo illi faciet præter te, & ſimiles tui, quos malè cruciat Romani Pontificis authoritas, injectumque frænum licentiæ inſaniendi inſanias quinque.

Pejus etiam Urbano VIII. Innocentium odiſti Papam X. Non ſola *Doctoris* tuo *admirabili* [r] adverſa Conſtitutio [s] cauſam odii poteſt dediſſe tibi: novam diſce cauſam, ſi neſciebas: *Societas* JESU, Innocentius ait [t], *viris* PIETATE ET DOCTRINA *inſignibus referta*, UBERES *in vineâ Domini fructus* IUGITER *producit*.

Peſſimo denique apud te loco Alexandrum VII. Pontificem eſſe oportet, qui & propoſitiones illas, quas tu *imaginarias* impiè vocitas [u], declaraverit tam diſertè, tui eſſe Doctoris, & Societatem extulerit iis præconiis, quibus excipiendis hæ paginæ ſint anguſtæ. Accipe de multis pauca. *Societas* JESU ait [x], *ab ipſis fundationis ſuæ primordiis in..... promovendâ infidelium, & Hæreticorum converſione &* HORUM PERTINACIA RETUNDENDA...... *Chriſtique fidelibus in viam mandatorum dirigendis ſedulò ſemper & fructuosè laboravit*, AC ETIAM NUNC STRENUE LABORAT. Nullus hic eſt apex, quin bilem moveat tibi: ſed quid iſtud ETIAM NUNC *ſtrenuè laborat*? Tu contra *ad tumulum properantis decrepitum languorem* Pontifici increpita.

[r] Inſtruct: Vind: pag: 25.
[s] Conſtitut: *cum occaſione*.
[t] Litt: Apoſt: de Congr: Gen: & Gubern: Societ.
[u] Inſtruct: Vindic: pag: 25.
[x] Conſtit: *debitum paſtoralis*.

Vidiſtin' eas litteras, quibus Rempublicam venetam rogavit Alexander idem Papa, ut Societatem ſolius ream obſervantiæ erga Apoſtolicam ſedem, in ſuas ſedes reciperet? tam ſunt in laudem effuſæ, tam ſolicitis refertæ precibus, ut Pontificiæ quiddam Majeſtatis ibi quidem poſuiſſe Alexander videatur: deguſtanda præbeo pauca. *Labores*, ait, *quibus, uti fideles operarii in Chriſti vineâ Societatis IESV Religioſi viri aſſiduè exercentur, fructuſque ...... adeo uberes atque ampli ſunt, ut bonus eorum odor longè ſe latèque diffuderit.... nos ſolicitudinis noſtræ debitum, ac præcipuam curam eſſe putamus, utiles adeo ſervos ...... & ubique, & apud eos præſertim eſſe, quos peculiari caritate complectimur.* Inde mox *Bonarum artium, ac pietatis ſtudia, Religionis propagandæ ardorem*, FREQUENTEM SACRAMENTORUM, AC DEI VERBI ADMINISTRATIONEM commendare aggreditur particulatim. Ac denique *quod ad nos attinet*, inquit, *non dubitamus id in beneficii loco ponere, ex quo maximos atque uberrimos fructus eſſis percepturi*:

percepturi: atque in hoc teſtem veluti, ac pignus paternam noſtram caritatem dare non veremur. Saporis ejuſdem ſunt ex litteræ, quibus Inclytæ Reipublicæ gratulatus eſt de Societate reſtitutâ, gratiaſque egit, ut de beneficio omnium maximo.[y] Nec diſſimiles ex, quas ad Rempublicam Lucenſem dedit; ex itidem quas ad Hieronymum Cardinalem Bonviſium hoc agens, ut eò quoque Societatem introduceret.

Videſne ſummorum exſibilator Pontificum, quàm tibi fides nulla apud eos ſit futura, quorum animis ſit impreſſa tenuis ſaltem nota pietatis erga Vicarios Chriſti Judices morumque Cenſores? Tibine pius credat quiſpiam, cum affirmas *ab ortu ſuo Evangelicæ doctrinæ infeſtos* fuiſſe, quos graviſſimi Pontifices tam multi, qui primordia ipſa illius cœtus ſpectaverunt, imò dederunt, ampliſſimis diplomatis declaraverunt *doctrinâ, & exemplis IESVM Chriſtum imitatos innumerabiles fructus Chriſtiano orbi attuliſſe*? Tibine fides ſit, cum ſpurciſſimâ nixus epiſtolâ infamis tenebrionis objectare audes *languorem decrepitum properantis ad tumulum* Ordinis, quem tu quidem tumulatum miſerè cupis, illi verò, quos ætas noſtra vidit, Pontifices Chriſti Vicarii, & augere ſtuduerunt, & conteſtati ſunt cum alibi, tum *in pertinaciâ retundendâ* Hæreticorum, hoſtiumque Apoſtolicæ ſedis, in quibus te numeras, *fructuosè laboraſſe*, AC ETIAM NUNC LABORARE. Erat ſcilicet, quo ſuſpicari liceat abductos Pontifices ne vera loquerentur. Turpine aſſentatione cenſes iſta locutos? non eſt illorum aſſentatio, qui ſummum attigere in humanis rebus faſtigium: An metu fractos aliter, ac ſentiebant locutos? Quid Maximi Pontifices metuerent *languorem decrepitum* enervati cœtus, jamque *ad tumulum properantis*? Circumventos dices, neque rem ſuam vidiſſe ſatis: at tu, miſer, neſcis non ſolùm manus illis longas eſſe, ſed & oculos proſpicientes longiùs: illi ignorarent ſoli, quæ res eſſet poſita non in angulo quopiam, ſed in publicâ luce, oculiſque Eccleſiæ? Ambages mittamus, vel te amor peſſimus etiam errantis Inſtructoris, vel te malevolentia in eos, qui tibi fecerunt bene, vel te factioni tuæ familiare odium in Romanos Pontifices, vel hæc ſimul omnia egêre præcipitem in calumnias iſtas. Tum verò quod eſt apud Hieronymum[z] ſperaſti *frontis duritiâ fidem lectori te facturum, ut quod imprudenter ſcriberes, verè ſcribere judicareris.*

z Lib. 2. in Ruffin.

VII.

CONCLVSIO.

HAbes, Lector, quàm premi nefas ducebam juſtam defenſionem Romanorum Pontificum, Oecumenicorum Conciliorum, Eccleſiæ ipſius Catholicæ. Quoniam verò præcipuè metuendum video, ne Lectori noceat *Inſtructio*, ejuſque *Defenſio* & Authoris nomine, & Cenſoris approbatione inſignis; quoniam etiam iſtud fere omne doctrinæ, quod improbavimus, Inſtructorem habet Authorem, placet compendio quodam exhibere ſumma ac præcipua capita earum rerum, quibus ille diſplicuit, ut ſuis terminis circumſcriptâ controverſiâ intelligat, quibus liceat evagationibus ſuperſedere.

a Inſtruct: Reg. 8. pag: 27. 1. Dubium eſſe affirmat a illum modum *Eccleſia infallibilitatis, quando ſolus Pontifex abſque conſenſu, aut approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit:* hoc eſt *abſque conſenſu* Concilii Generalis, aut Antiſtitum per Eccleſiam diſperſorum; quo ſcilicet *Eccleſia approbat Pontificum decreta.*

c Inſtruct: Reg: 8. His adde præceptum, quo monet c *valde cautè, & circumſpectè proſpiciendum eſſe, ne temere à veritatis viâ aberremus in examinandâ, & colligendâ Traditione, & nihil ut traditum admittamus ſine examine, & demonſtratione juxta modos ſupra dictos:* quartum modum, quo Pontifex ſeorſum definit, excluſum vult, ut dubium.

Ex his ego oſtendi eſſe conſequens, ut, ſi qua controverſia gravior Eccleſiam pulſaverit de Traditione, aut ſenſu Scripturæ, ne quidem liceat nobis acquieſcere Controverſiarum Arbitro Pontifici Romano. Oſtendi quin imò generalius fieri omnino haud poſſe, ut, ſi obſequamur *Inſtructioni*, ulla controverſia componatur Pontificiæ Authoritatis ope, ne quidem ut inducentis communem Eccleſiæ conſenſum: nec enim fieri poſſe, ut conſenſum illum inducat umquam Authoritas Pontificia, ſi *Inſtructioni* obſequamur.

d Inſtruct. Reg: 7. pag: 25. 2. Nullâ reſtrictione, aut temperamento affirmat d *demonſtrari non eſſe de fide, aut fide divinâ credendas deciſiones, aut definitiones Eccleſiæ etiam in Concilio Generali de quæſtionibus facti.*

e Diatrib: ... 459. Monitus e eſſe pronum hoc tempore, ut aſſeruiſſe id putarentur,

tur etiam de iis quæſtionibus, quæ de ſenſu libri Catholico, aut hæretico agitentur; non infitiatur in *Defenſione*, comprehenſas à ſe quæſtiones illas quoque. Territus tamen invidiâ, quæ hinc fluebat flagrantiſſima, ne parvi pendere videretur Conſtitutiones graviſſimas Innocentii X. & Alexandri VII. Propoſitiones damnantium *in ſenſu ab Authore intento*; *Proteſtor*, inquit *f* *me quinque Propoſitiones in illis damnatas pariter damnare, & ut meritò damnatas rejicere:* ſed altum ſilet *de ſenſu ab Authore intento*. *f* Defenſ. pag: 22.

Ego verò, ipsâ uſus argumentatione Inſtructoris, oſtendi, nullum eſſe uſpiam decretum fidei, ſeu cui fides divina ſit adhibenda, niſi & ſint hujuſmodi ea decreta, quibus Eccleſia quæſtionem ſolvit de ſenſu libri Catholico, aut hæretico. Incumbit ergo hoc illi, ut vel argumentationem meam, ſuamque diſſolvat, vel diſertè neget quæſtionem facti ſe eam intellexiſſe, quâ de ſenſu libri Catholico, hæreticove quæritur, quando affirmavit abſolutè, nullâque reſtrictione, aut conditione interpoſitâ *g* *demonſtrari non eſſe de fide, aut fide divinâ credendas deciſiones, & definitiones Eccleſiæ etiam in Concilio Generali de quæſtionibus facti.* *g* Inſtruct: Reg: 7. pag: 23.

3. De Concilio Baſileenſi ſaltem dubitat an legitimum fuerit, ut oſtendunt hæc *h*, *ſed quia illum modum* (quo Pontifex ſeorſum definit) *non admittunt graviſſimi Pontifices, & Doctores, & contrarium ſenſerunt Patres Concilii Baſileenſis, eum intactum ut dubium prætéribimus.* *h* Inſtruct: Reg: 8. pag: 27.

Profecit in *defenſione* *i* ubi contendit *Sacroſanctum* eſſe Concilium: *Quis bonâ fide*, inquit, *non venerabitur Patres Concilii, quod permittente Eccleſiâ intitulatur Sacroſanctum? Quod ſi tale non eſt, author ſim, ut quantocyus tomos iſtos Conciliorum...... curet ſupprimi.* *i* Defenſ. pag. 32.

Ego verò oſtendi legitimum eſſe Concilium, ſi *Sacroſanctum* ſit: mox tamen dubitare ſe inſinuat Inſtructor, an legitimum ſit. Condonetur antilogia iſta.

Oſtendi dubitandum pariter ipſi eſſe, ſitne legitima Synodus Florentina, quam hodie pro legitimâ veneratur Eccleſia univerſa, fueritne legitimus Pontifex Eugenius IV. poſtquam de ſolio dejectus eſt à Baſileenſibus: conſtetne denique ſua authoritas Lateranenſi Concilio ſub Leone X. celebrato, quando Baſileenſem conventum declaravit *k* eſſe *Conciliabulum, Conventiculum, & nullius prorſus authoritatis.* *k* Seſſ. 11.

4. Tridentinum Concilium, & Eccleſiam ipſam ſugillat *l* quod uti *incipiendo à libro Geneſis ſpecificat omnes S. Scripturæ libros uſque* *l* Inſtruct: Reg 8 pag. 29. 30 31. 32.

uſque ad Apocalypſim ... non eamdem curam habuerit ſpecificandi traditionem ... Multò ſcilicet *utilius, magìsque neceſſarium eſt, ſacras traditiones in aliquo volumine collectas habere, quàm ſacros Scripturæ libros. Nec apparet, quo pacto ſatisfieri poſſit ſancto ejuſdem Synodi deſiderio .... niſi hac Traditionum ſpecificatione .... hoc unicum eſt medium puritatem fidei in Eccleſiâ conſervandi ..... ſi quantùm Canonizationi Sanctorum, aliiſque minus neceſſariis, vel tantillum curæ impenderet Traditioni examinandæ, brevi pax prima Eccleſiæ, & aurea Sanctorum ſecula redirent.*

Hæc ego, aliaque hujus generis oſtendi neque piè, neque ſapienter dicta eſſe de Tridentinâ Synodo, & Eccleſiâ ipsâ.

5. Quàm nullâ reſtrictione Scholaſticis Theologis maledicat Inſtructor, methodumque ipſam Scholaſticam Hæreticis tam exoſam, & formidabilem reprehendat, oſtendi luculentè. Non

m Inſtruct. Reg 4 pag 12, 13. alium habet locum Inſtructio copioſiorem. *Hoc* nimirum *m experientia evidens facit, quod ab illo tempore, quo Theologi Ariſtotelismis uti cœperunt, & relicto antiquitatis tramite modum Scholaſticum induxerunt .... craſſa increvit non ſatis deploranda ubique ignorantia. Clerus vaniloquus, & inani argumentandi methodo tumidus à veritate auditum populi avertit:* alia permulta de *Magiſtris ob ſupremos in Theologiâ Scholaſticâ gradus omni ſe exceptione majores autumantibus*, de *infirmâ Methodo*, quâ *utuntur Scholaſtici jam ab uno, alteróve ſeculo, & amplius inter ſe pugnantes*, Atque etiam de *Magiſtris peſſimis, & fabulatoribus*

n Inſtruct. pag. 6. *in errorem ducentibus ſi fieri poſſit electos n.* Cætera dedi ſuprà, quibus ferro opus eſſe, non Medicinâ videt, qui Sermonem didicit humanum.

o Inſtruct 6 6. *Magiſtros* illos *peſſimos & fabulatores* uſque adeo cenſet *o* prævaluiſſe hoc tempore, ut & *miris docendi artificiis etiam in errorem ducant, ſi fieri poſſit electos*, & re ipsâ effecerint, ut Chriſti *fides in paucis admodum ſubſiſtat*, & quidem ea Chriſti fides, quæ eſt ad

p Defenſ. pag. 38. ſalutem neceſſaria *p*. Oſtendi redolere hæc fontes non puros: neque cogitationi tam abjectæ de Eccleſiâ nobis Coævâ ſatis mederi exaggerationem ignorantiæ multorum. Non *pauci admodum*, ſed innumerabiles ſunt, in quibus ſubſiſtit Chriſti fides. Interea ediſſeret ſpero nobis, quos eſſe cenſeat illos *Paucos admodum*, ne quis ſuſpicetur judicio Inſtructoris in ſolis reliquiis Janſenianis ſubſiſtere Chriſti fidem.

q Inſtruct. Reg. 7. pag. 24. 7. Audet nihil hæſitans affirmare *q Myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis defectu Scripturæ, & traditionis de fide eſſe non poſſe.*

poſſe. Oſtendi & nullâ ratione id dictum eſſe & dici non potuiſſe, niſi violatâ Conſtitutione Alexandri Papæ VII. quâ Piam ſententiam contradictione omni jubet immunem eſſe.

Hæc fere eâ ſunt Inſtructor Erudite, quibus læſam à te Authoritatem Romanorum Pontificum, Generalium Conciliorum, atque Eccleſiæ Catholicæ, vindicare ſtudui paulò majori operâ, quàm in Diatribâ erat præſtitum; cum animadverterem placere porro ea tibi, & verò etiam Defenſionem viſa mereri. Habet alia *Inſtructio*, quæ ego ſic præterivi, ut nolim probata à me videri.

Supereſt, ut quæ ſolius amore fidei Orthodoxæ, ſtudioque Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ Catholicæ, ac denique illâ impulſus caritate, quâ nos voluit eſſe conjunctos communis omnium Amator JESUS *Chriſtus*, eadem tibi ſalutaria evenire valde ex animo precer. Evenient perfectò, ſi ad Venerationem Pontificiæ Authoritatis animum inflexeris propenſius: proderit illa, mihi crede, ad multa: non ſinet illa dubitare, an pro oraculis fidei amplectenda ſint Florentinæ Synodi Decreta, itemque Lateranenſis ſub Leone X. celebratæ: procul abiget illa nimiam animi *circumſpectionem*, & *cautionem*, quâ utendum cenſes, ne quid admittamus pro Traditione, quod, ut Traditionem Vicariâ Chriſti Authoritate proponit Summus Pontifex, nondum etiam ſecutâ aliorum Antiſtitum approbatione. Sine illâ Pontificiæ Authoritatis Veneratione majori, quàm à nobis poſtulet Inſtructio tua, comperiemus verum fieri, quod de *Traditionum ſpecificatione* pronuntias[r]: *ſine hâc videtur impoſſibile inter Theologos Concordiam aliquam ſtabiliri.* Majora ſunt Concilii Generalis molimina, quàm ut diſcordiis frequentioribus remedium afferre queant. Eccleſiæ approbatio Pontificiam ſubſequens ſanctionem, erit perrara, ſi utendum erit ſingulis eâ circumſpectione, & cautione, ne quid pro traditione admittamus ſolâ nos commovente Authoritate Pontificis Eccleſiam docentis Vicariâ Chriſti Authoritate. Imò approbationem illam, & Eccleſiæ conſenſum nunquam inducet Pontificia definitio. Mitto diſcordiarum ſegetem immenſam *quæſtionem facti.*

[r] Inſtruct. Reg. 8. pag. 30.

Hæc mihi conſideranti minimè accidit mira gravis ſententia ab Egregio Chriſti pugile Cypriano olim pronuntiata: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt Schiſmata, quàm inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperetur, nec unus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus* JUDEX VICE CHRISTI *cogitetur.* Terreant nos iſta.

Imò non terreant; ſed animis alacres promamus Confeſſionem
s Epiſt. 57. Orthodoxam. Hieronymus præibit ad Damaſum ſcribens s:
t Epiſt. 92. præibit Auguſtinus Innocentium Conſulens t; ſed pauciſſimis
v Serm. 2. de verbis Apoſt. alibi v Româ *reſcripta venerunt*, CAUSA FINITA EST. Ego quod ad
me attinet, ſubſcribo.

Sed Theologorum Principis Doctoris Aquinatis doctrinæ *de gratiâ, de prædeſtinatione, de charitate, de Contritione* paratum te ais
x Defenſ. pag. 55. x ſubſcribere: ſubſcripſi ego jam pridem. Supereſt, ut tanti Doctoris ſubſcribamus confeſſioni momenti Summi. Præeat ipſe z:
z 2 2. q. 1. a. 10. *Ad illius ergo Authoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus Authoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ ſunt Fidei, ut* AB OMNIBUS INCONCUSSA FIDE TENEANTUR. HOC AUTEM PERTINET AD AUTHORITATEM SUMMI PONTIEICIS .... *Unde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem conſtituit*: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos. *Et hujus ratio eſt, quia una fides debet eſſe totius Eccleſiæ .... quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt: ut ſic ejus Sententia à totâ*
a de quibus Inſtruct. *Eccleſiâ* FIRMITER *teneatur.* Subſcribo & his ego quidem nihil
hæſitans.

Reg. 8. pag. 27, 28. Miſsâ denique *dubitatione* omni, & *præteritione a*, miſsâ etiam
b de quibus Inſtruct. noxiâ *cautione*, & *circumſpectione b* ſubſcribamus Confeſſioni Orthodoxæ, quam in Nicænâ Synodo II. Conſtantinus exprompſit
Reg. 8. pag. 33. Conſtantiæ Epiſcopus *c juxta tenorem litterarum, quæ à Sanctiſſimo Papâ Romano Miſſæ ſunt, omnibus conſentio, & ſic confiteor, & cum hac*
c Synod. VII. Act. 2. *fide ad Tribunal Chriſti veri Dei noſtri proficiſcar.*

F I N I S.

Digitized by Google